VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
5 G
22

M

14-1, 6, 25

~~VIII B 117 b 2~~


TRACTATVS
ALIQVOT VTILISSIMI, PRO DEFENSIONE REGIÆ ET EPISCOPALIS AVCTORItatis, contra rebelles horum temporum.

Quibus acceſsit Colloquium quoddam cum D. d'Incy Principe coniurationis Cameracenſis habitum in ipſa arce Cameracenſi.

Auctore RICHARDO HALL, *ſacræ Theologiæ Profeſſore in Collegio Marchianenſi, Duaci.*

Ad R. in Chriſto Patrem D. Petrum Manarę Priorem Marchianenſem.

Tit. 3.
Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.



DVACI,
Ex officina Ioannis Bogardi Typographi iurati, ſub Biblijs aureis, ANNO 1583.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tractatus iſte de vnius Regis aut Magiſtratus neceſſitate & dignitate nihil continet orthodoxæ fidei aduerſum; ſed ad veram obedientiam & Chriſtiano dignam pie retinendam plurimum cōducit. Quare vtiliter typis excudi poſſe iudico.

Ita cēſeo ego *Thomas Stapletonus* S. Theologiæ Doctor, & profeſſor regius in alma vniuerſitate Duacenſi.



SVMMA CAPITVM TRACTAtus de Neceſſitate ac Dignitate vnius Regis ac Magiſtratus in Repub. Chriſtiana, cum appendicibus, quæſtionibus.

Epiſtola dedicatoria ad R. in Chriſto Patrem Priorem Marchianenſem.

Præfatio & argumentum ipſius tractatus.

Quinam fuerunt primi auctores Anarchiæ? cap. 1.

Quod naturæ ipſius ductu homines paulatim in vnam ſocietatem coaleſcere cœperunt ſub vno capite, & quale illud caput eſſe debet? cap. 2.

De Neceſſitate vnius Regis, ex ſcripturis & Patribus. cap. 3

Quod a Deo Opt. Max. vnius Regis ac Magiſtratus dominatus ſit tam apud fideles quam infideles. cap. 4.

Reſpondetur ad argumenta Lutheri & Anabaptiſtarum contra dominatum vnius Regis aut Magiſtratus inter Chriſtianos. cap 5.

An non liceat aliquando ſubditis arma in Reges & Magiſtratus ſumere, ſi tyrannidem in plebe exerceant, aut tributa grauiora populo imponāt? cap. 6.

Vtrum Rex vel Magiſtratus aliquis propter peccatum mortale perdat regnum aut dominium ſuum? cap. 7.

An ſaltem charitas & gratia ſit aliquis titulus dominij vt qui in ea ſunt omnium rerum hoc ipſo domini exiſtant. cap. 8.

SVMMA CAPITVM TRACTATVS de Auctoritate Epiſcoporum.

PRefatio ad Populum Cameracenſem in tractatum de auctoritate Epiſcoporum.

Ordinem eſſe in omnibus rebus, ex Nazianzeno probatur. cap. 1

Ordinem fuiſſe in Sinagoga veteri quo noſter ordo eccleſiaſticus figurabatur, ex eodem Nazianzeno & ex Origine c. 2.

Eccleſiam Dei multis ex ordinibus & officiorum gradibus conſtare, varijs ſimilitudinibus ſcripturæ ſacræ oſtenditur. cap. 3.

Ex ſimilitudine Nauis quæ ſit ſacra hæc deſcriptio ordinum & diuerſorum munerum in Eccleſia demõſtratur, & ſimul quem locum Epiſcopi obtinent, ex Clemente & Epiphanio. c. 4.

Ordinem eſſe in Eccleſia docetur ex analogia membrorum & vnius capitis in humano corpore, & quomodo Chriſtus hunc ordinem reliquit & conſtituit, ex Nazianzeno. c. 5.

Iure diuino Epiſcopos inſtitutos eſſe a Chriſto, & ſuccedere in locum Apoſtolorum, ideo eorum debere eſſe locum ampliſsimum in Eccleſia Dei, ex verbis D. Pauli & multorum ſententijs Patrum. c. 6.

De obedientia debita Epiſcopis, ex multis ſcripturis, veterum ſententijs & hiſtorijs. cap. 7.

Quod qui in Epiſcopos rebellant, in Deum rebellant, & Chriſtum, & qua pœna tam diuina quam humana afficiẽdi, ex varijs locis Ignatij, Cypriani, & Bulla cœnæ Domini promulgata per Gregoriũ 13.

qua

quæ pœna in perſequentes hoſtiliter S. R. E. Cardinales ſtatuta, in perſecutores Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum extenduntur. c. 8.

Vitia, aut ætatem, aut cæteras quas allegare ſolent imperfectiones Epiſcoporum non eſſe iuſtas cauſas rebellandi in eos, aut detrectandi obedientiam, ex Origene, Chryſoſtomo, Ignatio. caput 9.

Apoſtrophe ad Populum Cameracenſem, qua auctor eos hortatur ad pœnitentiam & conſiderationem ſuorum facinorum. cap. vltimum.

SVMMA CAPITVM COLLOQVII Auctoris cum Principe coniurationis Cameracenſis.

P*Ræfatio ipſius colloquij.*
Colloquium ipſum.

IN TRACTATVS DVOS RICHARDI HALL D. THEOLOGI DE NECESSITATE VNIVS REGIS ac Magiſtratus in Repub. Chriſtiana,& de auctoritate Epiſcoporum Carmen Nicolai Brumellij Medici.

INcolumis perſtare diu res publica nulla,
Nec priuata poteſt, ni relligione fideque
Inſignis præſit Rex, & Pater omnibus idem,
Qui ſolus rerum ſummas moderetur habenas.
Nā multos regnare nefas, & ſumma poteſtas
Non fert imperij ſocium; ſic Romulus vrbis
Mœnia fraterno violauit ſanguine quondam.
Hoc illum docuit contemptor Amulius æqui,
Cum decreta patris ſupremaq; iuſſa peroſus,
Extorrem ſolio fratrem exturbauit auito,
Inque vicem longæ dominari noluit Albæ.
Conſulis alterius faſceis ſæpe oderat alter
Conſul, & in ſocium crudelia bella mouebat.
Terribilis Marius, Regnator Sulla ſuperbus,
Sexcentiq; alij nobis documenta dederunt.
Quid memorē Pōpeij acies, & Cæſaris arma,
Arma per Emathios plus quam ciuilia campos?
Quid quod apes vno vitā ſub Principe degunt:
At ſi forte duo Reges examina ducant,
Protinus ardeſcit truculenta in prælia vulgus,

Nec

Nec victis pax ulla datur, niſi regnet in aula
Vnus, & occiſo legem ferat omnibus hoſte.
Ergo ne ſacrum rurſus plebs turbida montem
Occupet, & toties ferrum in ſua vulnera vertat,
Iuſtitia belloq́; potens Rex imperet vnus.
Ac ne relligio ſtudijs diſcordibus acta
Concidat, atque aras vulgi mutabilis error
Polluat, eſto aliquis clarus virtutibus heros
Sacrorum antiſtes, qui dia oracula vatum
Explicet, atque animos obtuſaq́; pectora formet:
Sic noua mutatis creſcet gens aurea rebus
Et paſsim ſurget rerum pulcherrimus ordo.

Eiuſdem ad horum librorum Auctorem.

HAlle decus rerũ, & diuis dilecte ſacerdos,
Prome tui ingenij parturientis opes.
Ede quod obſcura iacuit caligine merſum,
Et quod nox dudum multa poluit opus.
Namq; tua in lucem dum manant aurea ſcripta,
Lectori vtilitas, gloria parta tibi.

IN TRACTATVS DVOS, VNVM DE NECESSITATE AC DIGNITATE VNIVS REGIS IN REpublica, alterum de auctoritate Epiſcopali, ad R. in Chriſto Patrem D. P. Manare Priorem Marchianenſem,

Epistola Dedicatoria.

NON ERAM NESCIVS, R. P. cum de rebus magnis & pleriſque hoc tempore odioſis ſcripturus eſſem, fore vt hic noſter labor in multorum reprehenſiones incurreret. Quibuſdã & ijs quidem ſuo iudicio ſapiẽtibus, ac meo non valde ſtultis exiſtimantibus haud eſſe tutum rebus Belgicis nondum pacatis & compoſitis de his vel verbum vllũ facere. Nonnullis totum hoc quod ago vituperantibus, qui ſe perſtringi putabunt, vel quod contrariam ſententiam in Republica aliquando tenuerint, vel quia parum adhuc recte afficiantur, quamuis perbelle ſimulent. Erunt etiam plerique quibus nihil vnquam placebit, niſi quod ex ipſorum officina prodierit, qui veluti parum æqui cẽſores, inique de alienis lucubratio-

nibus

nibus iudicabunt. Non nemo fortaſſis erit qui conqueretur, me iſta tum demum in lucem edere cum rectius ſupprimi potuerunt, vt quæ nimis iam ſero prodeunt, cum initio potius horum tumultuum edenda forent . Diſplicebit quoque alijs quod non omnia quæ ad Regiam & Epiſcopalem dignitatem ſpectant ſim complexus hoc ſermone, ſed tantum quędam certa capita, eaque a me ſatis ieiune & tenuiter pertractata. Poſtremo aliquos futuros ſuſpicor, qui in hoc opere deſiderabunt illud quod Græci vocant τὸ πρεπὸν, nos artis decorum interpretari poſſumus, eo quod tibi a multis annis in monaſterió tuo non modo Prioris ſed omnibus muneribus perfũcto, & plurimorum iam votis atque etiam certa ſpe in Abbatem expetito, ea potius quæ ad Reipub. & Eccleſiæ diſciplinam ſtabiliendam pertinent, quam quæ rem Monaſticam concernunt, dedicauerim. Quibus vt omnibus ſatisfaciam, & maxime timidiuſculis illis, nouj politicorum quorumdam atque eorum qui parum ab Atheiſmo abeſſe videntur eſſe ingenium, nihil vt conſtanter, nihil libere dicere ſcribereue audeant, ne forte ſi

res a-

Contra Politicos quoſdam ambidextros et timidos.

res aliter quam ſperetur eueniat, non poſſint in eodem loco atque auctoritatis gradu conſiſtere. In quos ego quoniam & in omni Republica abundant, & videntur mihi cuncta tepidis ſuis conſilijs niſi mature proſpiciatur euerſuri, quamuis alioqui ſatis patiens in aliorum vitijs tolerandis ſim, qui meorum obliuiſci nec poſſum nec debeo, tamen cum de illorum ignauia cogito, iure & merito excandeſco. Quid enim ſi nullus eſſet qui in his turbis veritatem auderet proloqui, nonne Reſpub. & religio ſummum in diſcrimen conijcerentur, & eiectis bonis mali & ex infimæ plebis fæce viliſſimi quique homūciones late vt antea dominarentur? Eſt enim Magiſtratibus, diuitibus, ac potentibus ſemper ab hac peſte egentium ac infimorum hominum timendum, qui nihil aliud quā rerum publicarū ruinas & euerſiones moliuntur, vt ipſi ex aliorū ſpolijs ac miſerijs diteſcāt. Quo fit vt optimos quoſque tam Magiſtratus quam ciues in odiū vulgi rapiant, illorum bonis ac fortunis inſidientur, eorum famam & exiſtimationem vellicent, vt ſibi viam tacite ſternant ad defectionem. Quod ſi opulenti ac ditiores iſti aucto-

auctoritatem ſuorum Regum ac Magiſtratuum, per quos ſinguli ſuis officijs ac limitibus continentur, concordibus animis ac coniunctis viribus non defendant, Rectoribus populi prius ſublatis, in horũ domus mox inuolabunt, illoſque ſpoliabunt ac deprædabuntur, quod olim Anabaptiſtas in Germania feciſſe, initio huius operis doceo. Nec me fugit veteres eſſe cautiones & formulas iſtorum politicorum, tempori cedendum eſſe, tempori ſeruiendum, vtendum nonnunquam foro, tantum vnicuique laborãdum in Repub. quantum nauare & efficere poſſit, quia fruſtra laborare, & laborando nihil niſi odium quęrere, extremæ dementiæ eſt. At ſcio etiam aliorum & ſapiẽtiorum & meliorum conſilium eſſe, ciuitate in duas partes ſeu factiones diuiſa, medium nullũ eſſe oportere, ſi maior pars vt fere fit meliorem vincat, meliori tamen adhærendũ eſſe, ſententiam & in Senatu & apud plebem fortiter dicendam, conſilium bonum & ſalutare Reipublicæ promendum, quod ſi minus ſuccedat quam velis, magnà tibi tamen conſolatio erit, qualiſcunque rei euentus futurus ſit, te grauiter recteque

ſenſiſ-

ſenſiſſe. Nec ex euentu ſed re ipſa conſiliũ ponderandum eſſe. Quæ niſi præcepta ſequamur, nolo equidem ominari, ſed idẽ fortaſſis nobis continget, quod quibuſdã huius mundi ſapientibus, (ſi verum eſt quod inter fabulas referri ſolet) qui cum ex qua neſcio diuinatione, aut rerum futurarum prænotione præuidiſſent, futuram breui talem pluuiam, qua quicumq; eſſent aſperſi, protinus in amentiam conuerterentur, defoderunt ſibi cauernas, & loca quędam ſubterranea, in quibus tãtiſper deliteſcerent, quoad illa aqua pluuialis tota decidiſſet, rati fore vt redeuntes in liberum aerem, ſua ſapientia eos qui remanſerant regerent & gubernarent. Sed ſecus accidit quam putarunt. Nam cum multo plures eſſent hac aqua ſtultitiæ cõpluti quam qui in terrę ſinus ſe recepiſſẽt, ſtultorumque adeo maior accreuiſſet numerus quam ſapientum, quos ſi quis aut legibus ſubijcere, aut conſilio moderari & frenare ſe poſſe putet, nihilo plus agat, quam ſi det operam vt cum ratione inſaniat, coacti ſunt iſti videlicet qui ſe ſapientiæ partibus & munere egregie functos fuiſſe exiſtimabant, propter nimiam paucitatem

Elegantiſſimus apologus.

citatem ſuam, poſtquam e terræ latibulis exijſſent, huic tantæ multitudini ſtultorũ ſubeſſe,& obtēperare. Atque hoc demum ſapienti ſi dijs placet taciturnitate ſua, qua alios huius rei non prę monuerint, conſequuti ſunt, vt cum natura liberi & domini ſtultorum prudentiores eſſe deberent, ipſi nō modo ſtultorum, ſed viliſſimorum mancipiorum ſerui fierent? Quanto melius Conſiliarius quidam huius ciuitatis doctiſſimus, quem ego multis nominibus amo, ſed eo maxime quod & Abbati meo Arnoldo Gantois defuncto chariſſimus extitit, & meliores in Republ. partes ſemper tutatus eſt, in illa ſua elegantiſſima oratione, quam vehementi impetu & fortiſſimis lateribus in hoc eodem Collegio quo ego iſta meditabar, & fere eodem tēpore pronunciauit, Papinianũ ſuum hominem Iuriſcōſultiſſimum, ſed ethnicum, contra Aurelianenſem quendam ſuſpectę aut nullius potius fidei ſcriptorem defendit, quod Antonini Caracallæ tēporibus, qui interfecto fratre ſuo Geta huic mādauerat vt & in Senatu & apud populũ hoc facinus dilueret, nihil nec cunctatus nec diſſimulans, veriſſima voce reſponderit,
non

non tã facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri, eiuſque atrox & nefarium factum liberrime reprehendit. Cui quod Thomam Morum noſtrum quaſi ſocium adiunxerit, qui ingenue Regis ſui turpitudinem probare noluit, ſed eam omnino eſt deteſtatus, conuenienter & appoſite fecit. Nam & ſimilis vtrique odij cauſa erat, illi parricidij, huic adulterij & pellicatus non excuſati, & vterque propter conſtantem veritatis profeſſionem ſecuri percuſſus fuit. Quorum ſi vel alteruter ſuo Principi adblandiri, aut veritatem ſaltem tacere voluiſſet, beatam & fœlicem vitam vſque ad extremum ſpiritum duxiſſet. Sed his longe nimirum prius & antiquius fuit nil cõſcire ſibi, quam poſſidere millia auri & argenti. Quare ſi Sapientis ſcite & egregie dicta vera ſint, meliorem eſſe hominem qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quam qui abſcondit ſapientiam ſuam, & tempus eſſe tacendi, tempus loquendi, nec vllo tempore magis loquẽdum eſt, quam cum noſtra taciturnitate Reſpublica aut Religio Chriſtiana periclitetur, quod ex hoc contemptu Regum & Epiſcoporũ facillime fiet, & ſi illius vulneris perãtiqui, contra

Eccl. 41.

Eccl. 3.

contra quod in his libris diſputamus, & quod ſanare omnibus modis contendimus, materia adhuc peccans multis in locis maneat, in alijs autem pleriſque non tam fortaſſis ſanata plaga, quam cicatrice obducta ſit, vt propterea metuere poſſimus ne recrudeſcat denuo vulnus, & fiat poſterior error peior priore: ſiue horum hominum iudicio tutum fuerit, ſiue minime tutum, prædicandam omnino veritatem cenſeo. Patrum noſtrorum vel potius proauorũ memoria (ſic enim a quibuſdam accepimus) cum in ciuili diſſenſione & perturbatiſſimo Reipublicę Gallicanę ſtatu, Ioanni Gerſon Cancellario Pariſienſi, & Nicolao a Clemangis doctiſſimis & abſolutiſſimis Theologis, a quibuſdam dictum eſſet ne ſe immiſcerent rebus Regni, ſed tacerent & diſſimularent: Nicolaus vt erat feruenti ingenio præditus (ſicuti eius ſcripta multa declarant, quæ niſi in hæreticorum aduncas manus incidiſſent, in aliquo pretio nunc eſſe poſſent) diſſimulare, inquit, & tacere, quid eſt aliud quam peccare, Deum offendere, & hypocritam agere? Licet igitur iſti Politici qui norunt bene vt aiũt vti foro, & õni tẽpore viuere, quique

Io. Gerſon. Nicolaus Clemangis.

quique ſe in omnes partes & colores tamquam Polypi obuertunt, & hoc tantum accommodando ſe omnium ingenijs agere videntur, populo vt placeant quas fecerunt fabulas, indignentur & ſuccenſeant, ego tamen verbi Dei pręcones in domino hortor, vt cum propheta exaltēt quaſi tubam voces ſuas, & quæ ſunt populo ſalutaria, ſiue illis grata, ſiue iniucunda futura ſint, annuncient. Melius enim ſecundum Auguſt. tumor capitis dolet, dum curatur, quā cum ei parcitur, & non ſanatur. & alibi, Crudelis eſt medicus qui exaudit hominem, & parcit vulneri ac putredini. Qua ſane in re grauiter a nonnullis poſtremis his tumultibus peccatum eſt, dum alij manus hoſtibus Regis & religionis vltro dederunt, alij fugerunt ne cogerentur veritatem cum periculo vitæ aut fortunarum ſuarum confiteri. Alij ambigue admodum & inuolutè ne cuius ipſi eſſent ſententiæ deprehenderetur interrogantibus reſponderunt, quidam ſe domi ſuæ abſconderunt, dum eos alij de rebus dubijs vellent conſulere. Tanta eſt mortaliū hominum infirmitas, vt etiam ſtellæ de cœlo amittant lumen ſuum, & qui ſunt a domino

Aug. ex 15. & in Pſalm. 33. conc. 2.

Matth. 5. Aug. lib. 1 de ſerm. Domini in monte, homil. 10. operis imperfecti.

no conſtituti lux mundi, illi lucernam ſuã interdum ſub modio ponunt, & ſuperiora faciunt corporis commoda, aut res terrenas quam prædicationem veritatis. Ad Politicos autem noſtros vt reuertar, quorum nonnulli ſua merita & benefacta in Rempub. iactitant, & hac externa pietatis ac boni publici larua artes ſuas ambitioſas, quibus ſuo magis honori quam Reipublicæ ſaluti velificantur, tegunt: eſt fortaſſis aliquis qui laruam iſtam qua aliorum oculos faſcinant, aliquando deponat, vt ipſi tales quales reuera intus, ſunt hominũ conſpectibus appareant. Cõtra quos & ego diſertus eſſe poſſem ſi vellem, ſed alijs hoc munus relinquo: interim ſuadeo hypocritæ eſſe deſinant, nolint claudicare in vtramque partem, ſi Rex Hiſpaniȩ ſit Rex, ſequantur illum, ſin Guilhelmus de Naſſau, confugiant ad eum. Syncere & ex animo ſiue in Repub. ſiue in alijs conſeſſibus omnia pertractent, nemini fraudẽ aut fucum hac ſua ſimulatione faciant. Nam cum duobus modis, hoc eſt aut vi, aut fraude, vt Cicero ait, fiat iniuria, fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis eſſe videtur. Vtrumque alieniſſimum ab homine eſt, ſed fraus

Cicero lib. 1. officiorũ.

odio

odio digna maiore. Totius autem iniuſtitię nulla capitalior, quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id tamen agunt vt boni viri & Reipub. aut aliorum ſtudioſi eſſe videātur. Qui ſi docti ſint, vt nonnullis videri volunt, tanto illorum ſimulatio minus ferenda eſt. Neq; enim vlla pernicies vitæ maior inueniri poteſt, quam in malitia ſimulatio intelligētiæ. At ego nec doctrinam illorum quantacumque ſit, vel pili quidem facio, ſi pręter hanc mortalem & caducam vitam nihil expetendum eſſe iudicent, eiuſque commodis atque incōmodis omnia metiantur; quin potius tanquam perfecte Atheiſtas, & Epicureos, non modo conſciētiam eos nullam habere ęſtimo, ſed vt alius quidam non inſcite dixit, in ſue, animam illi pecudi datam pro ſale ne putreſceret, ita & illis vt corpora ſua maleolentia a putredine conſeruētur, animas ſolum loco ſalis eſſe dixerim. Sed omittamus hos nihil prorſus dicentes, in quibus refellēdis nimis iam diu pro magnitudine huius epiſtolæ verſati ſumus: ad alios veniamus. Quod enim quidam ſe perſtringi putant a nobis, vel eo ipſo ſe eſſe conſcios fatentur alicuius criminis, ſibique

Cicero lib 3. officiorū.

Reſpo... 2. ob...

que magis habent quod ſuccenſeant quã mihi. Quid enim an quia quorundam oculis ægris odioſa eſt lux, propterea Deus ſolem ſuum hominibus abſcõdere debuit, ne lippientes eorum obtutus offenderet? aut quia veritas vt quidam ait, peregrinam agit in terris, quam omnes amant in ſe lucentem, ſed pauci aut nulli vitia ſua redarguentem, an ideo omittendæ ſunt cohortationes, admonitiones, reprehentiones, obiurgationes, magiſque illud Comici, Obſequium amicos, veritas odium parit, apud hos valebit, quam hoc Apoſtoli, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina? Ad liberos autem iudices ſeu verius obtrectatores quod attinet, nihil aliud dico, quam quod ex Quintiliano Hieronymus refert, fœlices futuras artes ſi de illis ſoli artifices iudicarẽt. Non poteſt Poetam noſſe niſi qui verſum poteſt ſtruere. Edãt ipſi ingenij & erutitionis ſuę aliquod monumẽtum, vt illos aliquid in his rebus ſapere intelligamus, & tum demũ liberum eis eſto de alijs iudicium. Sed curioſum ferè eſt hominum genus ad inueſtigandum errores alienos, negligens ad corrigendum ſuos. Nihil ipſi vnquam

Tertullianus initio apologetici.

Aug. lib. 10. confeſſ. c. 23.

Terentius.

ad 3. obiectũ.

Hieronym. in epiſt. ad Paulinum præfixa Biblijs.

Auguſtinus.

in lu-

in lucem proferũt quod ſit laude dignum;
& tamen vt ſcioli eſſe videantur, alienam
famam ſuis liberis iuditijs proſcindunt &
lacerant. Quamquam ſi iſta aliena nõ cu-
rant legere, neque etiam vlla ſua excudant,
ſaltem (vt facetè quondam Lucilius ſimi- *Lucilius.*
lium hominum iudicia reformidans) Ta-
rentinis dixit ſe, & Siculis, & Conſentinis
ſcribere, ita me permittant in eorum gra-
tiam hæc emittere, quibus ſuperiora mea
opuſcula admodũ placuerũt. Egone enim
iſta ſupprimerẽ, quę tam multis bonis vi-
ris non modo vtilia, ſed pene etiam neceſ- *Reſpõſ. ad 4. obiectum.*
ſaria videbantur, vt in aliorum manus de-
uenirent? Cum legam maximum illum
Pontificem Iudeorum Eleazarum roga- *Ioſephus lib. I. antiquitat. c. I.*
tum a Ptolomeo Philadelpho Aegyptio-
rum rege, vt in ornamentum Bibliothecæ
ſuę inſignis quam inſtituerat ſibi commũ-
nicaret diuinæ legis libros; reſpondiſſe ſe
libenter id facturum, quoniam morem vt
ait Ioſephus, haberent a maioribus accep-
tum res bonas & honeſtas celare neminẽ.
Sed finge vt ille ait in equo Troiano fuiſ- *Reſpõſ. ad 5. obiectum.*
ſe in extremo ſero ſapiunt, an iſta nimis a *Cicero lib. 7. ep. ad Trebatium.*
me ſero emittũtur quę duo illa luminaria
magna quæ ad firmamentum cœli hoc eſt

¶ 3 vniuer-

vniuerſalis eccleſiæ fecit Deus, Pontifica-
7. ſolitæ, de maioritate & obedientia, in decretalibus. lem ſcilicet & Regalem dignitatem (quorum vnum noctis oculus eſt, nimirum Regia poteſtas, & præeſt carnalibus, aliud diei & ſpiritualibus prælucet) iã pęne multitudine ſcãdalorum vel obſcurata vel extincta, ab hominum iniquiſſimorum iniurijs vindicant? Cum & nihil aliud nunc doceo quam initio & medio horum tumultuum docui, bene vt veteri prouerbio præcipiatur, artem non pudeat proloqui
Reſpon. ad 6. obiectũ quam factites. Quæ ſi cui pauciora & exiliora videantur, quam pro rerum tantarũ dignitate atque etiam maieſtate, ille maiora & ſolidiora ſcribat, mihi ſatis fuit ea puncta attigiſſe, quæ his temporibus maxime neceſſaria arbitrabar. Glorientur enim alij in magnis & craſſis ſuis voluminibus: ſuam cuique ſponſam mihi meam: me parua iſta delectant, quæ & citius coemuntur, ac perleguntur, neque cuiuſuis eſt ferre ſumptus maiorum excudendorũ. Quamuis ſi mihi longior vita ſuppetat, efficere profecto potero Deo dante, vt hæc parua quę ſunt, in iuſtum volumẽ aliquãdo excreſcant, nec etiam antiquorum Patrum de vna aliqua re ita prolixa opera reperiun-

periuntur,magiſque laudātur qui preſſe & tamen plane multa paucis complectūtur, quam qui verborum ambagibus nihil aliud faciunt, quam vt chartas impleant. Quod denique contendent quidam tibi hæc non fuiſſe dedicanda,cuius potius eſſet de rebus monaſticis cogitare, quam de Repub.aut Epiſcopatu, ab his ego longe diuerſum ſentio:quin potius arbitror eos qui præficiuntur monaſterijs huius patriæ,non minus de officio ſuo erga Regem & Epiſcopos ſollicitos eſſe debere, quam erga religionē monaſticam:quorum nulli fere ad hūc locum & gradum in Eccleſia aſſumuntur, qui nō antea in rebus monaſticis fuerint vtcumque verſati, quia non eſt vt ait Canon in Abbatem eligēdus, niſi qui prius fuerit competenter in regula inſtructus. At quotus quiſque monachorum omniū eſt, qui de Reipub.& Epiſcopatus negotijs aliquid ſciat, cum tamen inter ordines Belgij vbi de Repub.diſceptatur,non infimum locum obtineant præſides religionum, & ad Synodos ſiue Epiſcopales ſiue prouinciales nonnunquam conuocentur, in quibus nullus ignorare debeat quantum ſuis Epiſcopis hono-

Reſp.ad vltimum obiectum mitio poſitum.

c.officij tui, de electione, in decretalibus.

ꝟ 4 ris

honoris tribuendum ſit. Quare ego ſic ſtatuo, talem hominē qui alijs in religione præſit, tribus veluti perſonis debere eſſe indutum, vna qua nouerit regi ſuo obedire, Reipub. ſub vno Rege, vbi ad comitia ſtatuum venerit optime conſulere, alia, qua obſequium quod debetur Epiſcopis, in ijs quę limites poteſtatis eorum non excedunt, teneat; tertia, qua monachis ſuis bene præſit, eoſque iuxta regulæ quā profeſſi ſunt præſcriptum, vitam ſuam inſtituere doceat. Quæ omnia vt in R. Abbate defuncto quem tota poſteritas ſuo merito amabit & colet, cumulatiſſima fuerunt: ita vt in te quoque (ſi in eius locum ſucceſſeris, quod vtinam breue futurum eſſet, ne Monaſterium tamdiu paſtore ſuo orbatum grauius aliquod incommodum incurreret) eædem virtutes aliquando reluceant Deum Opti. Max. deprecabor. Relucebunt vero ſicut illi qui bonitatem naturæ tuæ perſpectā habent certiſſime ſperant, ſi non alium tibi in omnibus imitandum proponas, quam illum ipſum, quem ego qui hominem intime noueram, perfectiſſimum & in Repub. conſiliarium, & in eccleſia prælatum, & in diſciplina mo-

naſtica Abbatem fuiſſe ſcio. Quod autem
in monaſterij diſciplina conſtituenda nõ
ea perfecerit quæ in animo habuit, mali-
tia horum temporum obſtitit. Tu igitur
R.P. ſi Regia auctoritate hoc tibi munus
concedatur, alacriter perge & veſtigijs
talis Abbatis inſiſtere, & quæ ille inchoa-
uit ac imperfecte reliquit in religione mo-
naſtica perficere. Erit tibi non modo glo-
rioſum, ſed omnino neceſſariũ, ſi illas par-
tes quæ tibi concreditę erunt, quaſque ſuſ-
cipies, tueri velis, res monaſterij tui ita cõ-
ponere, vt iuſtã rationem corã Dei ſum-
mo tribunali adminiſtrationis tuæ redde-
re poſſis. A quo etiã hoc amplius peto &
contendo vt quoniam meipſum a multis
annis non mediocriter amare cœpiſti, eũ-
dem quoque amorem quem erga Patrem
Hẽricum Stilum tui ordinis Monachum,
ſexagenarium, & a natiuitate cœcum, ſed
videntem & exhortatorem iuuẽtutis col-
legij veſtri, atque adeo in vniuerſam natio-
nem noſtram Anglorum catholicorum,
piæ memoriæ R.P.D. Arnoldus Gãthois
habuit, & P.T. induere velit. Nec tibi pu-
tes cum illo hoc ſolum fore commune, ſed
cũ multis alijs ſpectatiſſimis viris, qui An-
glos

glos exules propter fidem catholicam domo abſentes, magni sēper fecerunt. In quibus, vt a primis exordiar, duo ſummi Pontifices & re & nomine Pij, 4. & 5. nō modo eos Romam aduentantes humaniſſime complexi ſunt, ſed etiam quoniam in Brabantia & hic Duaci plærique ſedes ſuas fixerant, annuo quodam ſubſidio ſeu congiaro in illos erogato, neceſſitates eorum plurimum ſubleuarunt. Quorum pietatis vna cum Pontificatu hęres Greg. 13. qui nunc Dei prouidentia ſedet illam cathedram & hoc ſubſidium pendi ſolitum renouauit, & duobus ſeminarijs vno Romæ altero Duaci primum, nunc Rhemis, inſtitutis, ac liberaliſſime ditatis, religionē Catholicam in Anglia nouis ſubinde operarijs in vineam domini ſubmiſſis magno ſtudio conſeruat. Pręter penſiones certas quas nobilibus atque alijs quibuſdā ſacerdotibus, vnde vel Romę vel in alijs orbis partibus viuāt munificētiſſime ſuppeditat. Horum exemplo (quoniam quales Principes in ciuitate ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues) multi S. R. E. Cardinales nobis cœperunt mirum in modū fauere, ex quibus pię recordationis Ioannes Moronus

Cardi-

Cardinalis,& totius ordinis Decanus, na-
ionis noſtræ protector, & Reginaldi Poli
Cardinalis noſtri ſanctiſſimi olim contu-
ernalis, multis nos beneficijs eſt proſe-
uutus. Poſt hunc illuſtriſſimi Boromeus
Mediolanenſis, Hoſius Vvarmienſis, Pale-
ottus Bononienſis, itemque duo alij quo-
um mihi nomina non occurunt, Arago-
ius,& Placentinus, in ſua familia aliquot
Anglos exules aluerunt,& ad beneficia ec-
leſiaſtica promouerunt, nec in hac enu-
neratione prætermittendi ſunt tres alij in
ula Summi Pontificis gratioſiſſimi Co-
nēdonius Comenſis, & Boncompagnius
poſt mortem illuſtriſſimi Moroni Prote-
tor afflictæ gentis noſtrę deſignatus, quo-
um commendatione apud Summum
Pontificem plurimum certe adiuti ſumus.
In his autem partibus imprimis occurrit
lluſtriſſimus Archiepiſcopus ac dux Ca-
meracenſis, D. Ludouicus a Barlaymont
le plæriſque noſtratibus bene meritus. Tū
Reuerendiſſimus & excellentiſſimus Epi-
copus D. Franciſcus Richardotus Attre-
batenſis defunctus, qui cum ipſe multa de
ſuo Seminario noſtro Duacenſi contribu-
eret, tum alios Abbates ad hoc & verbo
& exem-

& exemplo ſuo incitauit. Nec defuerunt nobis quibuſcumque rebus potuerũt Reuerẽdiſſimi & doctiſſimi Epiſcopi D. Martinus Rithouius Iprenſis, D. Guilhelmus Lindanus Ruremundanus, ex abbatibus vero fuiſſe erga nos liberaliſſimos experti ſumus, pię memorię Ioannem Lentallorium Aquicinctenſem, Arnoldũ hunc Ganthois Marchianenſem, Thomam de parẽti Vedaſtinũ, cuius & ſucceſtor D. Ioãnes Sarracinus, multis egregijs dotibus & naturæ & artis ac doctrinæ locupletatus, nec alienus vt facile perſpicio a nobis eſt, & Priorem habet D. Iacobum Marquais inſignem Theologum, & verbi Dei acerrimum prædicatorẽ, toto animo in nos propendentem. Inter doctores autem Theologos Louanij, Michaelem de Bay, & Ioãnem Heſſelium, quorũ multa in nos præclara officia charitatis extiterunt, nominare poſſum, ex quibus ille adhuc viuit, & cãcellarij munere fungitur, alter iam pridem mortuus eſt. Duaci D. Mattheum Galenũ Veſtcapelliũ, huius Vniuerſitatis quondã Cancellarium, magnum virum, & in pauperes ſtudioſos ac noſtros preſertim exules perliberalem fuiſſe multa eius benefi-
cia

cia teſtãtur. A quibus omnibus & tota na-
io noſtra incredibiliter amabatur,& mul-
i ſeparatim dum res Belgicæ erãt integræ,
itæ ſuæ ſubſidia acceperunt. Sed vt ab or-
line eccleſiaſtico recedam, in quo plæriq;
lij fautores noſtri extiterunt,quos omnes
iec poſſum, nec etiam neceſſe eſt in præ-
ẽnti nominare. Regum ac Principum, ac
ecularium hominum maximam multitu-
linem ſemper nobis propitiam habuimus.
n quibus inuictiſſimus Rex Hiſpaniæ Phi-
ippus ſecundus, Anglis pro fide profugis
am religioſis quam ſecularibus in ſuis di-
ionibus habitantibus quotannis ampliſ-
imas pecuniæ ſummas pro ſua Regali mu-
ıificentia quaſi donatiua militibus ſpiri-
ualibus pro ſuo imperio oraturis largitur.
Quod & Catholicis Epiſcopis in Anglia
arceribus incluſis ſemel atque iterum fe-
iſſe perhibetur, Sereniſſimam etiam Par-
næ & Placentiæ Duciſſam, vt ſæpe antea
ta & nunc quoque erga noſtram nationẽ
erbeneuolam ſentimus. Cuius filius Re-
gij exercitus Ductor, & Gubernator Belgij
naternæ pietatis imitator, nunquam deſi-
ıit quibus poteſt beneficijs noſtros cumu-
lare. Vnum vero præter cæteros mirifice
hoſpi-

hoſpitalem D. Iacobum Danuſium Abincortij etc. Dominum, gubernatorem Aueſnenſem cum illuſtri ac pientiſſima coniuge ſua, quę pro Chriſti amore ex viri ſui conſenſu (qui & ipſe non minus per omnia religioſus eſt) a viginti & amplius annis tã in domo ſua, quam in monaſterio velut vna ex illis antiquis Paulis & Euſtochijs vitam piam & ab omni cõplexu maritali ſemotam duxit, quamuis poſtremo loco numerem, nõ tamen poſtremos ſed inter pręcipuos Mecænates & patronos noſtræ nationis deputo, a quibus præter liberalitatem quam ſingulis annis in aliquot Theologiæ alumnis in Seminario Pontificio alendis impendunt, nunquã aliquis noſtratium ſiue paruus, ſiue magnꝰ Aueſnas trãſire ſinitur, quin apud dominũ Gubernatorem magnifico cõuiuio excipiatur. Quem morem & illuſtriſſimum Cardinalem Paleottũ Bononiæ in Italia obſeruare audio. Ac illi quidem pro ſua fide ac pietate optime: ſed quia multi ſunt falſi fratres, qui ab hoſtibus fidei ſubornantur, vt explorent libertatẽ noſtrã, noſq; dedecore aliquo inſigni apud tales patronos afficiãt, magnopere illos & omnes alios rogatos velim vt nõ

facile

icile quemquam ad hanc ſingularem hoſ-
italitatem admittãt, niſi prius teſtimonio
licuius quem ipſi probe nouerũt, catholi-
us & bonus vir eſſe cõprobetur. Si vero
inc in Franciã migrare voluero, Deus bo-
e quãtopere Rex & Regina mater, quãtũ
uę illæ Eccleſiæ Gallicanę columnæ, Car-
inalis Borbonius, & Guiſianus, & totus
eliquus Epiſcoporum ſenatus, quantum
oni omnes & quam ardenter nos amant?
Quod ſuperiore anno magno ſubſidio in
eminarios Pontificios vndique collecto,
tis ſuperque oſtenderunt. Sed vt alios ta-
eam, vna domus Guiſiana nobis inſtar õ-
ium erit, in qua dux ipſe hæres paterna-
ım virtutum, & auitæ gloriæ, & Cardina-
s frater eius, & tota propter ipſos ciuitas
hemenſis cui dominantur, erga noſtros
xules tam pie affecti & animati ſunt, vt nõ
oi in aliena terra exulare, ſed in ſua prope-
ıodum habitare videantur. Ipſiuſque du-
is tanta eſt in Anglicanam nobilitatem
haritas, & beneuolentia, vt in oppido
En vbi vniuerſitatem nouã erexit, trigin-
ı quas vocant burſas, totidem nobilibus
nglis atque Scotis addixerit, ſingulis in
nnuum victũ triginta aureis ſolaribus at-
tribu-

tributis. Quę idcirco prolixius cõmemoro, nõ vt iuidi obtrectatores perſpecta hac fœlicitate aliena contabeſcant, ſed vt cum videãt omnes bonos & catholicos eoſque primarię dignitatis & nobilitatis viros, cõcitatis ſtudijs nobis fauere, & patrocinari, diſcant ipſi odium ſuum erga nos deponere. Quorum oculus nequam eſſe non debet, quia alij boni ſunt. Quibus nihil vt aliud opto, niſi virtutem vt videãt, ita omnibus Męcenatibus noſtris fauſtiſſima quæque pro hac ſua in Chriſti pauperes liberalitate precor, atque vt hunc animum ad ſuum honorem, eorumque ſalutem perpetuo illis conſeruet, teque in illorum numerum adſcribat, Deum immortalem rogo: Qui R. P. T. ſemper florententem & incolumem tueatur, Duaci ex Collegio veſtro Marchianenſi.

R. P. T. addictiſsimus
Ric. Hall.

DE NECESSITATE AC DIGNITATE VNIVS REGIS AC MAGISTRATVS IN REPVB. CHRIſtiana: Oratio in formam tractatus redacta cũ nonnullis Appẽdicibus Quæſtionibus. Authore RICARDO HALL, Sacrę Theologiæ Profeſſore in Collegio Marchianenſi.

PRÆFATIO ET ARGVMENTVM HVIVS TRACTATVS.

ANTEQVAM *de vnius Regis aut Magiſtratus neceſſitate & dignitate incipiam dicere ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, reddenda mihi eſt ratio & ne-eſsitatis huius argumenti ſuſcipiendi, & v-ilitatis eiuſdem a me ſuſcepti. Ego cùm vni-uique in bellis iſtis ciuilibus ſedulò nauandam ſſe operam duxi, vt his furiarum quaſi arden-ibus tædis, quibus in Catholicum ſuum Regem liorum potius fraude & nequitia, quàm ſuo enio multi debacchantur & inſaniunt, reſi-ſteret, tum ipſum caput & fundamentum ſa-*

lutis publicæ fortiſsimè defendendum & populo diligenter inculcãdum eſſe ſemper exiſtimaui. Itaque cum anno ſuperiore Quæſtiones, quas vulgari ſed obſoleto nomine Quodlibeticas, nos eas arbitrarias nominare poſſumus, in Collegio Marchianenſi pertractandæ forent, mecúmque ille qui his diſputationibus anniuerſariis præerat ſerio egiſſet vt non deeſſem in hac parte officio meo, tametſi mihi neque otij ſatis binis quotidie in Theologia lectionibus aliiſq; multis rebus occupato, neque exercitatio in hoc genere multa eſſet, quæ ſi aliquãdo aliqua, aut perexigua fuit, ea iam tota & multorum annorum decurſu, & deſuetudine ipſa, & maiorum rerum meditatione euanuit, neque etiam vires corporis vndique iam laboribus literariis exhauſtæ, aut confectæ ſuppeterent, vt duabus aut tribus continuis horis declamarem: cùm tamen tam in ipſo Monaſterio Marchianẽſi, quàm in hoc Collegio ampliſſimi Abbatis D. Arnoldi Gantois diligenti ac pia ſollicitudine magnificè extructo permultos annos vixiſſem, eſſemq; eiuſdẽ optimi Abbatis ſingulari munificentia plurimis ac variis beneficiis tam publicè quàm priuatim ornatus, nolui committere vt cùm ingrati animi crimen horream, huic ſiue Collegio ſiue Abbati tacitè

hanc

hanc meam operam efflagitantibus, ſiue etiam homini familiariſſimo D. Præſidi id a me poſtulanti, hoc quicquid eſt laboris & officij in literis denegarem. Quamuis enim iuſtiſſimæ videbantur eſſe cauſæ cur hoc munus tot difficultatibus implicatũ recuſarẽ, præſertim cũ vt hominem totum atque integrũ, nulliſq; aliorũ negotiorum fluctibus impeditum, ita in hoc dicendi genere non mediocriter exercitatum & fortem requireret, maiores tamẽ plane mihi videbantur eſſe cur illud ſuſciperem. Quare cũ illa mihi ſolum cogitatio ſupereſſet vt Argumẽtum tale deligerem, quale maxime è re præſentium temporum foret, forte venit mihi in mentem cuiuſdam pollicitationis meæ, fere ab hinc decennio in quadã Præfatione, quã libello doctiſſimi Theologi D. Ioãnis Tõgi (quẽ Giouanũ tũc nominare volui) de Schiſmate, præfixi, poſitæ, vbi cùm in laudem cuiuſdem ordinariorum equitum Ductoris, in eo bello quod virtute & auſpicijs Ducis Albani cõtra quoſdam rebelles gerebatur, dixiſſem illũ egregiã operam Regi & Reipub. nauaſſe, addidi, quid enim dicam ſoli Reipub.? cùm illa ſine Rege tã ſtudioſo Catholicæ Religionis propugnatore, id quod nunc multi ſeditioſi ciues meditãtur, nihil aliud quàm multorum capitum bellua ſi-

ne fide, ſine Rege, ſine lege vitijs magis quàm virtutibus abundaret. Sed de Regis Catholici in terris authoritate, & quanta eius in populo maieſtas & veneratio eſſe debeat, quoniam hãc vnam rem Chriſtianis in officio continendis, ne ad Hæreſes & Schiſmata dilabãtur, maxime neceſſariam reor, eandemque nunc a plerisq; partim labefactari, partim impudentiſsimè conculcari intelligo, aliud mihi vt ſpero dabitur ſcribendi tempus. Hæc ego tum in illa epiſtola dedicatoria ſum præfatus. Qua in re ſiue ex certis coniecturis quas apud me habebam, ſiue neſciens verum dixi, & quaſi diuinaui fore id quod iam factum eſt, neſcio, neque enim multũ in præſenti refert. At de Regia authoritate & ijs quæ ad hanc quæſtionem pertinent, ſicut olim promiſeram, tractandi, non ſum arbitratus tempus vllum ſimile, hoc ſi omitterem, me reperire poſſe. Quod idcirco libentius feci, vt afflictæ Patriæ, in qua iam exul pluſquam viginti duobus annis exceptus fueram, aliquid opis & præſidij mea oratione adferrem, dum illam quæſtionem in qua prima mali ſui labes poſita eſt, enuclearem. Memini enim & Apoſtolum Paulum nos adhortari vt cuncta ad æ- 1.Cor. 14. *dificationem faciamus, & cùm materiam dicendi tam luculentam ante oculos noſtros habere-*

beremus, rem è longinquo repetere nolui, ne & de nobis illud verum eſſet, quod in Philoſophũ quendam ſydera nimis fixè intuentem, & interim in foueam humi incidentem ſcitè iactatum fuerat: Quod ante pedes eſt nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas. Atque hæc ſunt quæ me & ab hac tã ardua prouincia retardare potuerunt, & quæ ad illam ſimul obeundam incitarunt. De reliquo cùm pro more Scholæ hæc quæſtio de neceſſitate & dignitate vnius Regis vel Magiſtratus in Chriſtiana Republica vna cum aliquot alijs eodem ſpectantibus, quæ ab Anabaptiſtis Patrum noſtrorum memoria in dubium reuocata, nunc autem ab ipſa vulgi & ſeditioſorum hominum fece (quod magno malo noſtro experimur) quaſi ab Inferis excitatæ ſunt, ab ornatiſſimo D. Præſide in medium proponerentur, de illarum prima, quæ rem causámque totam continebat, ſimul atque ab auditoribus ſolitum ſilentium, & in audiendo patiẽtiam ac humanitatem ſtipulatus eſſem, dicere ſum aggreſſus in hunc modum.

Capvt primvm.
Quinam fuerunt primi authores Anarchias?

Clamant Anabaptiſtę, belluinum videlicet hominum genus & ſuis voluptatibus vndique deditum, nullos Reges aut Magiſtratus in Rep. Chriſtiana eſſe oportere, omnia eſſe cuiuis libera & ſoluta, obſtringi nemině ſuperiorũ iuſſis, aut legum vinculis, ſed vnicuique pro ſuo arbitratu viuere licere, ius illud imperitandi quod olim fuit, e medio ſublatum eſſe, omnes Chriſtianos inter ſe pares, ſibi mutuo ex lege charitatis ſubeſſe, infideles omnes, ſic enim qui ab illorum ſecta & parte diſſentiunt vocare ſolent, cum principibus & Magiſtratibus eſſe occidendos, libertatem denique per Principes extinctam, eſſę

Ex varijs locis libri Gabrielis Prateoli de Hæreſibus.

eſſe armis vindicandam. Quæ tam crudelis & impia ſententia vt a quibus authoribus primum profluxerit intelligatis, fontem eius & originem vobis patefaciam. Fuit, vt Ioſephus author imprimis bonus ſcriptum reliquit, Iudas quidam Galilęus, de quo etiã in Actuũ Apoſtolicorum hiſtoria quod in diebus profeſſionis auertit populum, nonnulla mentio eſt, qui ſiue vt eſſet ſuis Iudæis & contribulibus gratior ac plauſibilior, ſiue lucri & quæſtus ſui cauſa, docuit nullum in hac vita vocandum eſſe Dominum niſi Deum, eoſque qui iam facti ſunt adoptionis filij ſoluentes Deo decimas propter libertatem conſecutam, nõ debere ſubiici humanæ poteſtatj, nec tributa dare Cæſari. Quæ Hæreſis & Chriſti temporibus tam late ſerpſerat, vt non ſolum multos ex plebe, ſed Phariſæos nonnullos ancipites & perplexos tenuerit, vnde & illa quæſtio Chriſto àb eis propoſita dimanauit, liceretne cenſum dare Cæſari an non? Quorum de numero fuerunt & illi, qui dum Caſtellũ Maſſadæ ab exercitu Romano cingeretur obſidione, Eleazari

Ioſephus lib. 18. Antiquitatum c. 1. & 2.

Act. 5.

Mathei 22. Marci 12.

Lib 7. de bello Iudaico c. 28.

ductu & ſuaſione, maluerunt ſe ſuoſque omnes iugulare quam Cæſarem dominum agnoſcere. Contra quam Hæreſim vt Apoſtolorũ temporibus maxime vigentem, illi in ſuis epiſtolis multa diſſeruerunt, quibus omnes ſunt adhortati vt Deo imprimis, tum Regibus & poteſtatibus alijs, dominis etiam carnalibus, parentibus & ſuperioribus omnibus debitum cultum venerationemque præſtarent. Extitit tamẽ aliquot poſt ſęculis homo plane fædus & abſurdꝰ, & vt antiquũ nomẽ eius ſonat, furioſus & inſanus Manes ſiue Manichæus, qui poteſtatem & dominationem omnem ſpernere docuit, quaſi nõ a Deo bono inuecta eſſet Rerũpublicarũ adminiſtratio, ſed a malo principio profecta. Multis deinde poſtea annis VValdẽſes per peccatum mortale poteſtatem omnem amitti dixerunt. VViclefus vero & ſectatores eius cũ cætera permulta ex VValdenſium ſiue pauperum de Lugduno venenatis fontibus ebibiſſent, in hac eadem opinionis peruerſitate perſtiterunt. Nec ita pridem Martinus Lutherus idolum illud Iſlebienſe, excucullatus

Aug. libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum.

Ioannes Coclæus in con-

tus Apoſtata, & ſeditioſus homo, cum in libello de poteſtate ſæculari ſcripſiſſet, nullam debere aut poſſe eſſe ſuperioritatem, ſed vnumquemque alteri pari iure eſſe ſubiectum, quia, vt ipſe vitioſe Pauli verba ad Romanos citat, Apoſtolus monet vt vnuſquiſque alterum pro ſuperiore teneat: Item D. Petrus, Cũcti ſitis inuicem ſubiecti, & Dominus in Euangelio, Cum fueris inuitatus ad nuptias ſede in infimo loco, excepto Chriſto ipſo aſſeruit neminem altero ſuperiorẽ in hac vita cenſendũ. In quas ſententias tam ſeditioſas tamque capitales cũ Thomas Mounetarius, Baltaſar Parimontanus, Thomas Scaplerus, fanaticæ Anabaptiſtarum ſectę duces & ãteſignani incidiſſent, tum neſcio qua inſania & dem ẽtia agitati, (enthuſiaſmos illi vocant & diuinos afflatus) negarunt paſſim tributa ſoluenda eſſe Cęſari, & quaſi gladio Gedeonis a Deo accepto, in Vveſtphalia, Sueuia, Franconia, Turingia, & alijs terris quæ ad Rhenũ ſitæ ſunt, ſeruos & ruſticos contra dominos, & legitimos magiſtratus ſuos armarunt. Mox turmatim eductas cohortes vulgi iuſſerunt no-

futatione 21. articulorum Anabaptiſtarum Monaſterienſiũ. art. 8.

Vide librum Gabrielis Prateoli de Hereſibus. Vide & librum Anabaptiſtarum de Antitheſibus. Antitheſi 7.

nobilium domos diripere, & Monaſteriorum bona compilare; quod dum ab eis fieret nulla ordinata acie, ſed palãdo vndique & vagãdo, a Saxonię Principibus & Lantgrauio Heſſorum oppreſſi ac deleti ſunt: In quo prælio intra menſes fere tres, ſupra centum fere milia Ruſticorum præter Suermeros ac nouas ſectas concidiſſe, & non aliter quam pecocora trucidata fuiſſe, author eſt Ioannes Carion illorum tẽporum Chronographus. Cui viro cur fides non habeatur hac in re, neſcio, cum nõ dubijs indicijs cum Lutheranis ſenſiſſe a multis deprehenſus ſit. Noſtra vero ætate, atque adeo his annis elapſis hæc fax Anabaptiſtica quaſi de modio vbi aliquãdiu delituerat, iterum emergens, quos motus primum in Scotia contra legitimam Reginam excitauit? Quę bella inteſtina in Gallia Rege adhuc puero peperit? Quas deniq; turbas & perturbationes in hoc Belgio ſeminauit? vbi Catholico ac potentiſſimo Rege Philippo totius Hiſpaniæ ac Belgij huius innumerabiliumque aliarum Prouinciarum ac regnorum habenas tenente, vna cum ducibus ac guber-

Ioannes Carion in lib. 5. chronici ſui, Monarchia 4. in Carolo 5.

ber-

ernatoribus ab eo miſſis, clancularijs
æreticorum iſtorum ſermũculis in o-
um ac inuidiam vulgi adductis, popu-
ris ac plebeia hæc peſtis nobilium ac
otentum quorundam opera ad tem-
us freta, non modo in rebus ciuilibus,
d omnium maxime in religione licen-
am quandam quiduis ſentiendi & faci-
ndi vſurpauit. Cui peſti ita in Reipub.
ſceribus adhuc graſſanti vt reſiſtamus,
uoniam ex hac origine omnes quot-
uot hac tempeſtate vidimus, & in hoc
elgio, & fere alijs in locis turbas or-
s eſſe non ignoramus, quod Catholi-
orum Principum authoritas horum
ominum aſtutia etiam ab his qui ſe
ici Catholicos volunt ſit diminuta, ſta-
endum imprimis eſt inter Chriſtia-
os debere eſſe Reges & Magiſtratus ci-
iles, ijſque ab omnibus obtemperandũ
ſſe. Quod dum ab ipſis naturæ primor-
ijs repetam, deinde ex iure diuino, &
mnium temporum exemplis ac teſti-
onijs confirmẽ, quæſo diligenter ſicut
a ctenus feciſtis, attendite.

Capvt secvndvm.

Quod

Quod naturæ ipſius ductu homines paulatim in vnam ſocietatem coaleſcere ceperunt ſub vno capite, & quale illud caput eſſe debeat.

CVM hominum naturam perſpicio, in eamque diligentius paulo & attentius intueor, video Deum Opt. Max. ipſos multo magis quam pecora quædam congregabilia ad ſocietatem quandam & coniunctionem inter ſe habendam fabricauiſſe. Ex quo neceſſario efficitur, ſi modo non cõturbatã & confuſam, ſed firmam & ſtabilem hominum inter ipſos conſuetudinem eſſe velimus, aliquos qui pareant, alios qui præſint eſſe debere. At neſcio quis primus mẽdacio ſuo confinxit, fuiſſe tempus cum illi qui ſoliuagè & ſeparatim ab alijs habitarent, a feris beſtijs infeſtati compulſi fuerint ſe aliorum ſocietati aggregare. Poſtquam autem integra hominũ multitudo in vicos, agros, aut ſyluas conueniſſet, nec adhuc nimium tuta fuiſſet ab hac incurſione beſtiarum, tum demum cogitaſſe de cingendo mænibus vrbes, locisque tutis ac munitis extruendis; poſtre-

Plato in Protagora.

Vide contra hos Lactantiũ, libro 6. c. 10.

oſtremo cum nec ita omnibus omnia
d victum ſuppeterent, dilataſſe fines &
omeria ſua, ac paulatim ſibi ciuitates
dificaſſe, in quibus ſub vnius aut mul-
orum imperio omnium vitæ officio-
ım ac munerum apta eſſet deſcriptio,
t quod vni in quaque re abundaret, id
teri comunicaretur, nihil vt huic mul-
tudini ita in vnum congregatæ eorum
uę ad communem vitam pertinent de-
ſſe poſſet. Sed cum, vt frequenter fit, ci-
itas aliqua multitudine ſua laboraret,
ım in alia loca colonijs deductis plu-
es non lõge a ſe diſſitas ciuitates factas;
uæ quia & interdum inter ſe tumultu-
entur, & ab externis hoſtibus graues
npetus & incurſiones ſuſtinerent, qui-
us abarcendis omnino impares eſſent;
inc factum eſt vt multæ ciuitates vnius
ut plurium tutelæ & imperio ſe ſubmi-
rint, vnde breui ſpacio Regna & Pro-
inciæ extiterunt. Quod vt eſt valde ve-
iſimile mendacium, & quædam vera
ıultis falſis permixta habet, ita totum
ılſo fundamento nititur: Non enim, vt
ti aſſumunt, ferarum cauſa homines in
num conuenerunt, ſed naturæ ipſius

impul-

Cicero initio primi libri de inuentione et in oratione pro Publio Seſtio.

impulſu atq; vi. Nec vero etiã probabilior eſt illa fabula, quæ quãuis diſertiſſimos authores & adſtipulatores habeat, mihi nullo modo placet, quod principio cum homines in montibus & ſyluis pecudum more oberrarent, viri alicuius magni & ſapientis graui & ſuaui oratione ex agris & tectis ſylueſtribus coacti in vnum locum ſunt, quin potius ſicut antea dicere cœpi, homo animal cicur & ſociale a Deo creatus eſt. Ex quo fit vt ſi mutua alterius opera nõ indigeret, eſſet tamen ad cõiunctionẽ & ſocietatẽ propenſus, & quia omne animal diligit ſimile ſibi, & homo proximum ſuum, vt ait Sapiens, hinc ei datum eſt homines ſui generis appetere, poſſe loqui & cum illis ſermocinari, vtile ab inutili, iuſtum ab iniuſto diſcernere, in quarum rerum communione ciuilis ſocietas conſiſtit. Sed & cum ad imaginem ſuam & ſimilitudinem primum parentem cõdidiſſet Deus Opt. Max. Non eſt, inquit, bonũ hominẽ eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Quibus verbis perſpicitur Deo authore inſtitutũ eſſe vt homines hominibus ad ſocialem vitam & eius

Eccleſ. 13.

Geneſis. 1

-ius vſus ac neceſſitates opus haberent. Quorſum enim homini linguam dona-it, an vt ſecum ipſe in ſolitudine loque-etur, cũ non ſit neceſſe, vel vt cum bru-is animantibus & pecoribus conferret ermones, cum ipſa nihil intelligant? Quorſũ maſculus effectus eſt, niſi vt ad officium generationis adhiberet & fæ-ninam? Maſculum enim & fæminam reauit eos. Quorſum & ij generarẽt niſi t creſcerent & multiplicarentur & re-plerent terram? Ex qua generatione tres tatim ab ipſo initio domeſticæ ſocieta-es hominum natæ ſunt, patris & filij, iri & vxoris, filiorum & reliquę fami-iæ. In quibus vt in extremis lineamen-is trium Rerumpublicarum, Monar-hiæ, Optimatum poteſtatis, & eius quæ ommuni nomine Reſpublica dicitur, dumbrata quædam effigies eſt: Nam nter patrem & filium aliquid eſt regale; n viro & vxore quoad adminiſtratio-iem domus cõmunis aliquid Optima-ũ ſimile, in filijs vero ipſis ſeu fratrib[9], ropter æqualitatem dominandi in cæ-eram familiam, quiddam politicum & opulare. Qui omnes vt vna domo ſe *Geneſis 1.*

conti-

Greg. Niſſenus. lib. 1. c. 2. de Philoſophia.

cõtinerent, ſibique mutuo proſpicerẽt, ipſa ratio naturalis eos edocuit, cum nemo ſolus ſibi ipſi ad vniuerſa ſufficiens ſit, nec homo per ſe imbecillis poſſit ſine homine viuere, ſed ſocietatem appetat, vt vita communis ornatior ſit & tutior. Cum enim cætera fere animantia Dei beneficio habeant & paſtum & indumenta, & alia ad ſe defendendum quaſi arma naturalia (nam & Elephanto ſua proboſcis eſt, Aquilę roſtrum vngueſque adunci, Turturi ſuum roſtellum, Araneo nec deeſt quidam aculeus, Leo denique omnium, vt aiunt, animalium Rex, & vultu terribilis, & pedibus atque vnguibus hamatis, & ſerratis dentibus, ac horribili rugitu, cætera ſibi animalia ad paſtum quamuis alioqui fera ſubijcit) ſolus homo nudus & inermis factus, omnique prorſus cibo, aut parãdi ſibi cibum, ſeque defendendi aut conſeruandi auxilio deſtitutus, tantum illi mens ſagax & lingua data eſt, quibus adiutus in ſolitudine tamen manuum officio omnia iſta facere non poſſet, niſi huius domeſticæ ſocietatis beneficio eſſet munitus. Qua primum optime conſtabi-

Lactantius c. 4. de Opificio Dei.

ſtabilita, quam nec Heſiodus ignorauit fundamentum eſſe cæterarum ſocietatum, cum dixit: *Heſiodus citatus ab Ariſtotele li. 1. de Rep. c. 1.*
In primis tibi quære domum, ſociamque, bouemque.
Naturæ ipſius ductu ab iſtis tam exiguis initijs & ciuitates paulatim eſſe cęperũt: quia cum in vna domo omnes homines contineri non poſſent, & in vicos atque pagos ſecedentes, vt olim inter Paſtores Abrahæ & Loth, ſic inter alios lites & contentiones facile ſuborirentur, nec ibi omnia ad vitam hominum neceſſaria ſuppeterent, cum artifices omnis generis deeſſent, & in ruſticanis cętibus boni mores ac vrbanę leges ſeri commode nõ poſſent, vt tantæ hominum multitudini omnia parata eſſent, quæ non modo ad officia humana, ſed ad vitam bene beateque agendam eſſent neceſſaria, opus fuit in vnum locum ſeu ciuitatem cuiuſque artis ac profeſſionis homines quaſi in bene ordinatam quandam aciem coaleſcerere: Quia & nulla, inquit Chryſoſt. ars finem ſuũ ſola cõſequitur: quod exemplo agriculturę, textoriæ, & aliarũ artium elegantiſſime probat: & cibi, po- *Geneſ. 13.* *Chryſ. hom. 53 in Math.* *Clemens lib. 9. recognitio-num.*

tus atque indumenti gratia ſingulas quaſque artes quis non videt eſſe expetẽdas? Deinde ſi quis vel medico vel fabro vel alio quopiam artifice habens opus longam, vt idem ait, peregrinationẽ vt eos acquireret, ſuſcipere cogatur; perire interea rem ſit neceſſe, hinc vrbes cõſtruxit & in vnum omnes collegit, & vt his qui procul abſunt facilius congrederemur, mare in medium expandit, ventorum dedit celeritatem, & expeditas eſſe peregrinationes iuſſit. hæc ille. Atque hanc fuiſſe rationem ciuitatum conſtituendarum alius quidam Poeta neſcio quis luculentiſſime declarat dum ita ſcribit:

* *Nam quærit ecce Fullo Calcearium,*
Equitum Magiſtro gratus eſt Franifaber,
Agrum colenti Mechanicus coniungitur,
Breuiter habeto, quælibet ars cuilibet.
Piſcator omnis indiget enim ruſtico:
Eget piſcatore rura qui colit:
Illi panes dans, ipſe piſces accipit,
Sic omnis opifex quærit alterius opem.
Hic denique modus ciuitates promouet.

Huic igitur multitudini ita in vnum coadunatę, vt confuſio vitetur ſi non ſit ordi-

Chryſ. hom. 34. in 1. Cor.

* *Cyrus Theodorus in amicitia exulãte. Citatur hic auctor vt græcus a Iacobo Billio in commentarijs in Nazianzenũ in argumento Apologiæ 2. & videtur Eudociæ Augustæ vxori Theodoſij iunioris gratiſſimus propter poemata, factꝰ eſt Epiſcopꝰ Smirnæor. iuxta Nicep. poſtquã fuiſſet præfectus vrbi.*

Niceph. l. 14. c. 46. hiſt. Eccleſ. cum ibi ãnotatis. Vide Suidam citatũ ibid.

ordinata, & ne ad vitia, & pręſertim diſſenſiones ciuiles prolabatur, ſicut vxori præficitur vnus vir, filio pater, dominus ſeruo, ita vnus ciuitati Magiſtrat⁹, qui alijs iusdicat pręficiendus eſt. Neque enim iudicauit Scipio fœlicem eſſe ciuitatem ſtantibus mænibus, ruentibus moribus, nec rem populi eſſe vbi nō eſſet populus iuris cōſenſu & vtilitatis cōmunione ſociatus. At vero quia nec ita ſocietas humani generis recte per omnia ſubſiſtit, ſi in ſeipſis multę ciuitates bene conſtitutæ ſint, niſi & aduerſus externū hoſtem, aut etiam mutuas ciuium diſcordias, quæ niſi a maiori poteſtate ſiſti & cohiberi non poſſunt, ſe tueri & protegere valeant, hinc fit vt eadem natura duce cogantur vnius aut plurium, qui tanquam vnus gubernant, potentum ſe imperio ſubmittere. Non enim vt cętera animantia inter ſe tranquilla ſunt, & ſibiipſis minime infeſta, ita & homines, quin hi potius tanta cum feritate in ſe mutuo diſæuiunt, vt Dicæarchus collectis vndique cauſis quę perſępe adferunt gentibus interitum, vt eluuionis, vaſtitatis, peſtilentiæ, ruinæ, ac terræ

Cic. lib. 3. de Repub.

Cicero lib. 1. Officior ex Dicæarchi li. de hominum interitu.

motus, demum cōcluſerit plures homines hominū impetu, vi ac fraude deletos fuiſſe, quā omnibus ſimul alijs interitus cauſis, nullamque eſſe tam deteſtabilem peſtem quę non homini ab homine naſcatur. Nec fere aliter Plinius ſenſit, Cætera, inquiens, animantia in ſuo genere probe degunt: congregari videmus ac ſtare contra diſſimiles: leonū feritas contra ſe non dimicat, ſerpentum morſus nō petit ſerpentes, ne maris quidem belluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſæuiūt, at hercle homini plurima ab homine ſunt mala. A quib⁹ ōnibus incōmodis & iniurijs vt ſarti tecti eſſe poſſimus, nonne videtis quo pacto nos ſenſim natura informauit & quaſi manuduxit, vt plures ciuitates arctiſſimo quodam fœdere atque vinculo copulatæ, vnius aut pluriū Magiſtratuum imperio deuincirentur? Nam vt magnus ille orator & ſubtilis indagator naturæ acute ſcripſit, ſine imperio nec domus vlla, nec ciuitas, nec gēs, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Vtrum autem ad vnum Regem, ſeu plures qui vt vnus domināt ur, ſiue

Plinius libr. 7. c. 1. naturalis hiſto.

Cicero lib. 3. de legibus.

ſiue in Optimatum poteſtate,ſiue in Rep. ſumma rei referenda ſit, eadem naturæ ratio ex ipſius ſocietatis moribus & ingenio petita docebit. Placetque mihi vel maxime Bartoli hominis Iuriſcõſultiſſimi prudẽs illa diſtinctio, quod in ciuitate magna popularis ſtatus ex quibuſdam per vices electis ex populo faciendus ſit, ne alioqui aut paucorum Optimatum, aut vnius Regis potentia opprimãtur, cum nec illis alendis in tantò ſplendore ſufficiant, quantum conueniret Regiæ dignitati, niſi tributis quotidianis populum vellent exugere, & ſi pauci Optimates præeſſent, multitudo popularis facile in eos inſurgeret, vel illi ipſi inter ſe diffidentes rixas & diſſenſiones parerent. In maiori autem ciuitate ſicut Rex vnus ferendus non eſſet propter infinitos ſumptus quos profũdere in alios Reges ſoleant, quibus ciuitas illa ſuſtinendis par eſſe non poſſit; ita Optimatum poteſtas illi cõueniret: quia quãto ciuitas eſt maior, tanto plures eſſe debent, per quos multitudo regi non dedignatur, & quia ſunt plures, quãuis inter ſe diuidãtur, aliqui ſaltem mane-

In tractatu de regimine ciuitatis.

Bartolus diſtinguit ciuitatẽ in magnam, maiorem et maximam.

bunt qui Reipub. partes tutẽtur. In populo autem ſeu ciuitate maxima quæ & alijs dominetur, Monarchia & vnius regimen, qui non vt Iudex ſecundum leges iudicet, ſed ipſe leges alijs ferat, ſummopere requiritur: Nã & populus huic tributa vnde regio more viuat ſuppeditare poteſt, & vnitas ipſa multo melior eſt per ſe quam plures qui fiunt vnum, tum virtus vnita fortior eſt quam diſperſa, & quia ars omnis imitatrix naturæ, tanto eſt præſtantior quanto propius ad eam accedit, cum in humano ac naturali corpore vnum eſt caput quod cæteris omnibus membris præſideat, in hoc etiam artificioſo corpore Reipub. vnum tantum caput alijs præeſſe debet. Atque vt omittam experimento compertum eſſe tale Regimen præſtare alijs, hanc Rectorũ in diuerſis gradibus magnarum ciuitatum diuerſitatem idem auctor oſtendit in Populo Romano, vbi ſtatim exactis Regibus multi ex õni ordine populi electi dominabantur, præterquam ex viliſſimis & infimæ conditionis hominibus: poſt vero aucta ciuitate pro maiore magnitudine fuiſſe Optimatũ poteſtatem;

Vide l. 2. ff. de origine iuris.

tem;cũ autem & ãplius creuiſſet, & longe lateq; fines ſuos propagaſſet, tũ Rex vnus ſeu Imperator eis dominabatur. Sic enim fere multitudinis natura poſtulat,niſi lõga conſuetudine aliter aſſueuerit,vt ita quodãmodo contrarius mos ſit ei verſus in naturam. Hęc fere Bartolus. Ego etiam Monarchiã quaſi perfectiſſimam & abſolutiſſimã regendi rationẽ omnibus alijs Rerump. formis antepono,quia *Nulla fides regni ſocijs,õniſque poteſtas impatiẽs cõſortis erat. *Vidit hoc Ariſtoteles,* vidit & ante eũ Homerus, quem in hac cauſa teſtẽ citat dũ ait,Non eſt bonum multorum dominiũ aut principatus, ſit vnus Princeps & vnus Rex. & Iſocrates ſane præclare. *In paucorum,inquit,& populi poteſtate labefactatur Reſp. ex propria ipſorũ ãbitione, at Monarchæ qui nemině habent cui inuideant,de rebus õnibus id ſtatuũt quod vtiliſſimũ eſt; ex quo probat facilius eſſe vnius viri iudicio & volũtati ſatiſfacere,quam dare operã vt multis & varijs ingenijs placeas. Deinde alibi, Dij quoque,inquit,ipſi Regem habere dicũtur Iouẽ,quod aut verum eſt, & hũc ſtatim

* *Lucan. l. 2.*

* *Ariſtoteles 12. Metaph.*

* *Homerus Iliados 6.*

* *Iſocrates in Nicocle.*

* *Vide et Augu. l. 1. c. 9. de nuptüs & concupiſcentia pro vnius principatu: Nã & principatus, ait, magis naturaliter vnius in multos, quam in vnũ poteſt eſſe multorum: Item, Natura principiorum amat ſingularitatem, facilius autem pluraliter a nẽ vidimus in ſubáſtis.*

timilli omnibus præferũt, aut incertum & dubiũ, ſed ab illis hoc ſuſpicãtibus ita nos accepimus, & indiciũ eſt quod õnes ſtatum regium cæteris anteferimus. Lõgum eſſet hic percenſere quid apud Perſas Magis occiſis inter Otanem Megabizum & Darium ſit diſputatum, dum vnus populare & commune regimen, alius Optimatum poteſtatem, tertius regnum & Monarchiam oratione ſua alijs omnibus Rerumpubl. generibus prætulit, tandẽ tamen õnes Dario pro Monarchia peroranti palmam dederunt; Atque hoc eſt quod Alexander Macedo poſt primam contra Darium reportatã victoriam dixiſſe perhibetur, nec cælum duos ſoles, nec orbem duos reges pati poſſe.

Herodotus in Thalia.

Iuſtinus lib, 11. hiſt.

CAPVT TERTIVM.

De neceſſitate vnius Regis ex ſcripturis et patribus.

SED quid aliena perſcruter, cum ex noſtris literis abunde nobis ſuppetãt quę adferamus? Cuius enim ſunt illa omnium ore decantata? In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod bonum erat in oculis ſuis hoc faciebat. Quod nobis ſcriptura ſacra non vnico in loco ſed pluribus tam diligenter

Iudicum 17. 21.

ter commemorat, vt intelligamus quicquid in illo populo mali tum temporis perpetratum fuerat, id non aliunde quã ex iſta Anabaptiſtarum Anarchia, & Regis aut Iudicis vnius orbitate profectum fuiſſe. Cui & Sapiens ſubſcripſit dicens, Vbi nõ eſt gubernator populus, corruit, & Abachuc Propheta lachrimabiliter pene apud Dominũ conqueritur; Quare, inquiens, non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe, & facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem? Ad quæ verba Irenæus dum reſpiceret; non dubitat quin ad vtilitatem gẽtilium terrenum regnum ſit poſitum a Deo, vt timentes regnum humanum non ſe alterutrum homines vice piſcium conſumerent, ſed per legum conſtitutiones retundant multiplicem gentilium iniuſtitiam. Sed omnium copioſiſſime Chryſoſtomus neceſſitatem Regum & Magiſtratuum habendorum proſecutus ait, Nihil vnquam intractabilius Repub. quę vacat Principatu, quemadmodum neque periculoſius quicquam eſt naui ſuo deſtituta gubernatore. & rurſum: Quod

Prouerb. 11.

Abac. 1.

Irenæus lib. 5. contra Hæreſes fol. 357. ex editione Pariſi.

Chryſ. in c. 3. Eſaiæ.

Chryſ. hom. 6. ad populũ chemũ. Quod in domibus faciunt lignorũ contignationes, hoc Principes in ciuitatib᷒, & ſicut ſi illas ſuſtuleris diſſoluti parietes per ſeſe corruunt, & ſi ex mundo Principes tollas & horũ metum, & domus & ciuitates, & gentes cum multa inter ſe licentia corruent, nemine exiſtẽte qui contineat & repellat, & pœnæ timore eos quieſcere perſuadeat. & paulo ante, Sicut ſi gubernatorem a naui ſeparaueris, ſcapham ſubmerſiſti, & ſi ducem ab exercitu abducas, vinctos hoſtibus tradidiſti milites; ita ſi Principes de ciuitatibus abſtuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem agemus vitam, inter nos mordentes & nos deuorantes, pauperiorem potentior, manſuetiorem audacior: Item alibi, Malũ quidem, inquit, eſt vbi nullus eſt Principatus, & multarum cladiũ exiſtit occaſio, & confuſionis eſt turbationiſque principium: Sicut enim ſi ex choro ipſum Coriphæũ auferas, nequaquam modulatus chorus vel ordinatus exiſtit, & phalanx militum ſi ducem nõ habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit, & nauis ſi gubernatore priuetur, peſſum eat neceſſe *Hom. vltima in epiſt. ad Hebræos.*

ceſſe eſt, & gregi ſi paſtorem abſtuleris, cũctus diſpergetur & peribit, ita & malũ eſt vbi nullus eſt Principatus, ſubmerſionis enim hoc argumentum eſt. O vere os aureum quod ipſum nomen ſonat dicam neſcio, an quod de quodam alio dixit Cicero , flumen orationis aurum vehens. Neque enim iſte nugas tam diſerte & eloquenter tractat, ſed res omnium grauiſſimas veriſſimaſque maxima vi verborum pulcherrime exornat. Sed age reliquas huius eloquẽtiſſimi viri aureas ſententias commemoremus. Innumera, inquit, nobis bona ciuitatibus per magiſtratus proueniunt, quæ ſi ſuſtuleris omnia peſſumdabis, ita vt neque vrbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud conſiſtere queat; ſed omnia ſimul ſubuertentur, potentioribus imbecilliores impune deuorantibus. & in epiſtolã ad Corinthios. Quia inquit ęqualitas honoris ac conditionis pugnas & diſſidia plerũq; inducit, multos fecit Principatus multaſq; ſubiectiones, vtpote viri & vxoris ſuę, filij & patris, ſenis & adoleſcentis, ſerui & liberi, Principis & ſubditi, prȩceptoris ac diſcipuli.

Hom. 23. in c. 13. ad Romanos.

Homel. 34. in 1. ad Cor.

puli. Sed & in primis illis parentibus virum imperare, mulierem parere iuſſit, eſſe enim inter æquales æmulationem nouit: Itaque noluit eſſe Democratiam ſed regnum. Et quod videre in exercitu licet, id in omni bene cuſtodita domo deprehendas: Regis locum obtinet maritus, vxor primatis & ducis, imperiū proximum liberi tenent, infimum familiares: Nam & hi in ſubiectos ſimiliter imperium poſſident, & vnuſquiſpiam cęteris omnibus præfectus heri vicem habet, ſed vt ſeruus: atque aliud eſt rurſū imperium inter ipſos, vxorum & liberorum dico, in ipſis denique liberis aliud, prout cuiuſque ætas aut natura tulit: Nam ne in pueris quidem æquale imperium fęmina tenet. Quam denique rem ipſam acu tetigiſſe videtur dū ait; Prius Deum imperiū vnum feciſſe viri & mulieris, poſtquam vero in alias & alias degenerauit enormitates genus noſtrum, imperia plura conſtituiſſe, herorum in ſeruos, Principum in ſubditos, & quia prauitas hominum diſſoluit ac perdidit imperia, medicos ille medijs in vrbibus iudices collocauit, qui vitia velut chari-

tatis

tatis peſtem exagitantes ad cõcordiam
homines reuocarunt. Hæc ille. Qui mi-
hi õnia diuinitus cõplexus eſſe videtur
quę in hac cauſa dici poſſunt. Docet e-
nim non hominum inſtituto ſed naturæ
quodam ductu, atque adeo neceſſitate
ipſa compellente, quia nimirum aliter ſe
ſuaque omnia tueri iſta multitudo ho-
minum in vnũ collecta nequiret, (quod
omni tamen animantium generi a natu-
ra tributum eſſe Cicero dixit) Reges &
Magiſtratus eſſe in Reſpublicas diuina
prouidentia introductos. Sed paulò ad-
huc altius, ſi placet, in ſcripturis & eius
Interpretibus, Dei et naturę ſpeculemur
exẽpla. Nam ſi Moyſi dictum eſt: Inſpice *Exod. 25. & 26.*
& fac ſecundum exemplar quod tibi in
monte monſtratum eſt; nos multo pul-
chrius & auguſtius exẽplar Monarchiæ
huiũs in cęlo habemus, Vnus eſt enim,
ait Sapiens, altiſſimus creator omnium *Eccleſiaſt. 1.*
& rex potens & metuendus nimis, ſedẽs
ſuper thronum illius & dominãs Deus.
Quod ſi ad creaturas libet a Deo ipſo
deſcendere, nonne & idem vnus Deus
cõditor naturę fecit vnum primum An-
gelum, qui omnibus Angelorum choris

præ-

præemineret? Nonne & omnes homines ab vno primo parente generis noſtri principio deduxit? nonne & in veteri teſtamento vnum ſummum ſacerdotē qui rebus ſacris præeſſet, qui vero rerum externarum curam gereret vnū ſiue Iudicem ſiue ducem ſiue Regē conſtituit? & in nouo teſtamento vt vnum Chriſtū ſupremum Eccleſiæ ſuę caput, ita vnum etiam vicarium caput & ſummum Pontificem loco Chriſti præſidere iuſſit? Et cum in naturis rerum, vnū caput in homine, vnam animam rationalem omnes corporis actus regētem, vnum truncum in arbore, vnum primum mobile inter cęleſtes orbes, vnum ſolē qui pręeſſet diei, vnam lunam quæ pręluceret nocti, crearet; ita & vnum in Repub. Magiſtratum aut Regem præfici voluit? Solē ergo e mundo tollere vidētur qui vnum Regem aut Magiſtratū nobis e Repub. detrahunt. Neque enim pudet me his exemplis aut ſimilitudinibus vti, quibus non recentiores modo ſed antiquiſſimi quiq; vſi ſunt. Inter quos Euſtachius Epiſcopus Theſſalonicēſis bene certe antiquus Monarchiam eſſe optimam ab

In explicatione illius Homerici: Θ' vκ

ipſa

ipſa mundi diſpoſitione oſtendit, quæ ab vno Curatore vniuerſarum rerum Domino ac Rege gubernatur. Et quia quæ in mundo habentur pulcherrima ſingularia ſunt, vnus ſol præeſt diei, vna eſt item luna noctis oculus, vnum Regē in arce noſtra mētem ſcilicet Rex Regū collocauit, ita igitur & ciuitas bene ſe habebit ſi ab vno Principe regatur. Non eſſet bonum ſi plures ſoles in cęlo eſſent, ita nec ſi plures Reges in regno. At longe ni fallor hoc antiquior D. Hieronymus. Etiam muta inquit animātia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt, grues vnam ſequuntur ordine literato: Imperator vnus, Iudex vnus Prouincię. Roma vt cōdita eſt duos fratres reges ſimul habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Eſau & Iacob bella geſſerūt: ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quamuis grandi exercitu vnius ſignum expectatur. Cui conſentiens Chryſoſtomus: Ecquid miraris, inquit,

ἀγαθὴ πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

Hier. in epi. ad Ruſticum de viuendi forma.

Homel. 23. in c. 13. ad Romanos.

quit, quod in hominib⁹ iſtud fecit, quãdo idem & in corpore noſtro fecerit? Neque enim hic paris honoris omnia fecit, ſed hoc quidem melius, iſtud vero melius, & hæc quidem cæteris membris imperantia, iſta vero ſubdita. Idem & in beſtijs videre eſt, vt in apibus, in gruibus, in gregibus ouium agreſtium: cum & mare ab iſta diſciplina deſtitutũ non eſt, ſed illic quoque multa piſcium genera ſub vno reguntur ac militant, longaſque ita peregrinationes exequuntur. Libertas enim illa diſſoluta ac moderamine carens, vbique mala cõfuſioniſque cauſa eſt. *Omnium vero antiquiſſimus D. Cyprianus in libello, quem inſcripſit quod idola Dij nõ ſunt, vel vt vulgo legunt, de idolorum vanitate, præclare vnius Regis aut Magiſtratus neceſſitatem expreſſit, dum ait, Quãdo vnquam regni ſocietas aut cum fide cæpit aut ſine cruore deſijt? * ſic Thebanorũ germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiã in morte diſcordia. & Romanos geminos vnum non capit Regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Põpeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen

* *Cypr. in tractatu quod idola dij non ſint.*

* *Cyprian⁹ alludit hic ad Etheoclem et Polynicem fratres decertãtes pro alterno regno, quorum corpora cum iniecta eſsẽt in eundem rogũ flãma ſe diuiſiſſe fertur, quaſi odio fraterno manente poſt mortem.*

men neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec hoc tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura cõſentiat. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, multo magis mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa quæcumque ſunt verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute consũmat. Vbi ſunt ergo qui Monarchiam iſtam popularem, in qua bellua multorum capitum populus dominatur, pręferũt vnius Regis aut Magiſtratus imperio? cum ne duo quidem præſides diu poſſint eſſe cõcordes, ex quo fieret vt diſciplina õnis concideret. Quod & ſapienter D. Athanaſius vt õnia animaduertit, Si plures, inquiens, eſſent Principes, non poſſet ſeruari rerum ordo: ſed forent confuſa omnia, dum vnuſquiſq; arbitrio ſuo traheret omnia, & aduerſus alium diſſideret. Itaque fateri cogimur multorum Prinpatum verum auferre dominiũ, cum enim illud ſibi viciſſim tollant, nullus iam erit Princeps, ſed Principatus deſideratio apud omnes præualebit. Delirare ne vobis hi patres videntur, an digniſſimum rebus his de quibus loquuntur

Athanaſ. in lib. contra Gentiles.

tur ſonum fundere? Cur igitur vos o Anabaptiſtæ, non ſolum miſeri ſed miſerandi, & tamen mirabiliter ſeditioſi, terræ filij, veluti antiqui Critici Cornicum oculos configitis? quodq; natura rerum, quod huic cōſentiens ratio, quod ſcriptura ſacra, quod optimi quique & prudentiſſimi, quod tota ātiquitas patrum fideliſſima naturæ interpres, non modo vtile rebus humanis, ſed maxime neceſſarium eſſe cenſuit, hoc tam magno & prępotenti bono orbem terrarum priuare conamini? Maneat igitur, maneat, æternumque duret hæc lex, non ſcripta ſed nata, quam (vt de ſpolijs Ægypti aliquid auferamus) non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus, vt quoniam aliter nequeat ſtare genus humanū, niſi Reges aut Magiſtratus aliqui hominibus imperent, vtroſq; & Reges & Magiſtratus in Chriſtianis Rebuſpublicis dominari ſinamus. Neque enim vt arbitror, gratia Chriſti naturam tollit, ſed perficit, vt non ſit abſurdum vtramque ſimul conſiſtere &

cohærere poſſe.

Capvt qvartvm.

Quod a Deo Opt. Max. vnius Regis aut Magiſtratus dominatus ſit tam apud fideles quam apud infideles.

At naturam parumper faceſſere iubeamus, videamuſque porro an & Deo Opt. Max. hic modus Reſpublicas adminiſtrandi placeat. Placet vero mirifice. Atque vt illud quod a vetuſtiſſimo Poeta dictũ docti pariter & indocti laudant, non vrgeam: Reges omnes ſub Iouis clypeo verſari, eiuſque filios & alumnos eſſe, quoniam & Poetas è Republica ſua Plato exulare iuſſit, & nos non Poetæ ſed Theologi ſumus: Cum nullus in hac cauſa certior teſtis diuinę voluntatis eſſe poſſit quam Deus ipſe, illius voces audiamus. Per me, inquit, Reges regnant, & cõditores legũ iuſta decernunt, & alio in loco, Audite ergo Reges & intelligite, diſcite iudices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis poteſtas a Domino, & virtus ab altiſſimo. Item,

Homerus

Prouerb. 8.
Sapient. 6.

Prouerb.21. Cor Regis in manu Dei, quocumque
Pſal. 143. voluerit flectet illud. & Propheta Regi⁹,
qui das inquit ſalutem Regibus & a-
Pſal. 67. libi, Magnificans ſalutes Regis eius.
Quid illa? paruine facienda ſunt, quæ a-
pud eundẽ Pſalmiſtã leguntur? Ego dixi
Pſal. 81. Dij eſtis, & filij excelſi õnes. Itemq; apud
Exodi 22. Moyſen, Dijs non detrahes, & Principi
populi tui non maledices: Aut quod Io-
ſaphat, cum inferiores Iudices & Magi-
ſtratus cõſtitueret, dixit, Videte Iudices,
2. Paral. 9. non enim hominum ſed Dei exercetis
iudicium. Quæ ſi omnia exemplis illu-
ſtrare vellem, tempus me potius quam
oratio deficeret. Sed pauca tantum ex
multis delibabo. Quis igitur populo I-
Exodi 3. ſraelitico Moyſem ductorem præfecit?
Iudic. 1. quis huic Ioſue ſubſtituit? quis Otho-
Iud. 3. 4. 7 9. nielem ducem & ſaluatorẽ poſuit? quis
continenti ſerie Ahod, Sangar, Delbo-
ram, Gedeonẽ ſuffecit? quis Abimelech
quamuis tyrannice regnum occupanti
poteſtatem dedit? niſi ille qui facit hypo-
critam regnare ſuper populum propter
peccata populi, & dat illis Reges in furo-
10. 11. 12. re ſuo? Quis Thola, Iair, & Iephte Gala-
13. atidas ambos, Abeſan Bethleemitem,
Abdon,

Abdō, Sāpſon, populi Iſraelitici moderatores & iudices conſtituit? nonne ille ipſe de quo ſcriptum eſt, data eſt vobis poteſtas a Domino & virtus ab altiſſimo? Quibus ſi aliquādo iſti ductores defuerūt (defuerunt autem interdum) tum populus aut ab externis hoſtibus impugnatus eſt, aut in grande peccatum idololatriæ lapſus, vel infinitis alijs vitijs obnoxius ſemper fuit, vt ſcriptura non ſine cauſa conqueratur in diebus illis nō fuiſſe Regem aut Iudicem in Iſrael. Poſt hos igitur rerum ſumma ad Heli & Samuelem, deinde ad Saulem, Dauidem, & Salomonē deuenit. Sciſſo autem regno & decem tribubus ad Hieroboam, ad Roboam autem duabus pertinētibus, ne in hac quidem diuiſione vſque ad captiuitatē Babylonis, Anarchiam eſſe Deus voluit. Quin & poſt captiuitatem Babylonicam, Zorobabel & conſequentes duces vſque ad Iudam Machabæum præfuerunt, in quo iterum ſacerdotium & ducatus coierunt, donec per aliqua temporum interualla & regium ſibi nomen aſciſcerent. Relinquamus peculiarē Dei populum, ad quatuor illas Monarchias,

Sapient. 6.

Iudicum 8. 17.21.

1. Regum 1. 7.10.

2. Regum 2.

3. Regum 7.

3. Regū 11.

in quarũ vltima naſci dignatus eſt Chriſtus, accedamus: quę non ſuapte ſponte, ſed Dei inſtitutione ſingulæ ſingulos Monarchas & Imperatores conſecutæ

Hierem. 25. 27. 46. ſũt. Quid enim aliud illa Prophetæ Hieremiæ verba ſonãt in quibus toties Dominus Deus Nabuchodonoſor primæ illius Monarchiæ rectorem ſeruum & columbam ſuã appellat? Et ne quis dubitet de diuina in illum propẽſione, hæc ait Propheta: Dicit Dominus exercituũ Deus Iſrael, hæc dicetis ad Dominos veſtros, Ego feci terram & homines & iumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magna & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis; Et nunc itaque ego dedi ei omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei, inſuper & beſtias agri dedi ei vt ſeruiant illi, & ſeruiant illi omnes gẽtes & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tẽpus terræ eius & ipſius, & ſeruiãt ei gẽtes multæ & Reges magni. Gens autem & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicũque non curuauerit collum ſuum ſub iugo Regis Babylonis

bylonis, in gladio & in fame & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus, donec conſumam eos in manu eius. Quam poteſtatem a Deo manaſſe ampliſſim' teſtis eſt Daniel vir deſideriorũ, qui & hoc coram Nabuchodonoſor ipſo profitetur, & Balthaſarem filium eius alloquens, ait: O Rex Deus altiſſimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo, & propter magnificẽtiam quam dederat ei, vniuerſi populi, tribus & linguę tremebant & metuebant eum, quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Ad Cyrum in ſecunda Monarchia regnantem veniamus, qui de ſeipſo profitetur his verbis: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli: de quo & Dominus apud Eſaiam, Qui dico, inquit, Cyro, paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Item hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dextram vt ſubijciam ante faciem eius gẽtes & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ nõ

Danielis 2. et 5.

4. Regũ vltimo.

1. Eſdræ 1.

Eſa. 44. 45

claudentur. Ego ante te ibo,& glorioſos terrę humiliabo, portas ęreas conteram, & vectes ferreos cõfringam, & dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum, vt ſcias quia ego Dominus, qui

Heſter 16. voco nomen tuum Deus Iſrael. Aſſuerus autem detectis inſidijs Aman contra Mardochæum & Iudaicam gẽtem,ingenue fatetur illos eſſe filios altiſſimi, & maximi ſemperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus noſtris, inquit, & nobis regnum eſt traditum & vſque hodie cuſtoditur. Alexander vero Macedo tertiæ Monarchiæ inſtitutor,cũ Iaddus Pontifex Iudæorum ei Hieroſolymam venienti obuiam veniſſet eo habitu quo eum in viſione antea Alexander vidiſſet, tã diuino oraculo admonitꝰ

Ioſephus lib. 11. antiquitatũ c. vltimo.

vt pergeret exercitum ſuũ traijcere, ductu enim ſuo eum regno Perſarum potiturum, quam a Iaddo ipſo confirmatus, qui ei ſimile quiddam ex Danielis libro legiſſet, his auſpicijs fretus relicta Hieroſolyma & huic Pontifici placatus cui antea infenſus ſanctam ciuitatem cum furibundo & prædone milite ſpoliaturus aduenerat, belli mole iã in alios inclinata

clinata Monarchiam illam Perſarum totam ſibi ſubiugauit. De vltima demũ Monarchia quæ apud Romanos fuit, quæ certiora indicia eſſe poſſunt diuinæ in eos beneuolentiæ quam quod ipſe Chriſtus ſub ea ſit natus, ipſe vt Oroſius ait, cum cenſum eis daret & ſe adſcripſit ciuem Romanum, & Romanos rerum õniũ dominos eſſe profeſſus eſt. Ipſe etiã in Euangelio alios hortatus eſt vt tributum quod Cæſari Monarchæ debebatur, redderent Cęſari: ad quem & Apoſtolus Paulus in Actis appellauit, & cui obedire tam ipſe quam alij Apoſtoli in ſuis epiſtolis Chriſtianis omnibus præceperunt. Ex quibus primus eorum omniũ Coryphęus D. Petrus, Subiecti ait eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi tanquam præcellenti, ſiue ducibus ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis impudentium hominum ignorantiam. Quem ſecutus D. Paulus (nam & vtramque tibiam vnus ſpiritus inflauit) omnis, inquit, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita

Oroſius lib. 6. hiſtoriæ. c vltimo.

Math. 22.

Act. 25.

1. Petri 2.

Rom. 13.

ſit

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quę autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtũt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Et poſt; Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram ſed propter cõſcientiam: ideo enim tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo õnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, & quæ ſequuntur. In alia autem epiſtola, Admone, inquit, eos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad õne opus bonũ paratos eſſe: Timotheum vero obſecrat, vt primo õniũ fiãt obſecrationes, orationes poſtulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Quod ſi his regibus qui adhuc naſcente Euangelio infideles & Ethnici fuerunt, monent Apoſtoli vt Chriſtiani obediant, quanto hoc magis de his qui fidem Chriſti imbiberunt pręcepiſſent? Non enim vt ille ait, Venit Chriſtus cõditiones mutare, nec vt Eccleſia

Ad Tiũ 3.

1. ad Timoth. 2.

Author paruorum commentariorum in c. 6. ad Epheſ.

cleſia canit eripere vult mortalia qui reg- *Sedulius.*
na dat cęleſtia, ſed quia plurimi vt inquit *Hieron. in c. 6. ad Eph.*
Hieronymus, inter initia fidei putabant Gentiles dominos contemnendos, Apoſtolus conſtituit conditionum moderari præcepta; vt ſerui obedirēt dominis ſuis, ſubditi regibus, filij parentibus. Nec longe diſſimiliter Chryſoſtomus *Hom. 23. ad Rom. circa initium.*
Paulum aſſerit de obedientia erga ſuperiores plurimum & in alijs epiſtolis, & in ea ad Romanos meminiſſe, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas nō ad hoc induxiſſe, vt potentias euertat ſed vt ad melius inſtituat. Imo & quia plurima tunc temporis circumferebatur fama traducens Apoſtolos veluti ſeditioſos, rerumque nouatores, qui ōnia ad euertendum leges communes & facerent & dicerent, ait iſta imperari omnibus & ſacerdotibus & monachis, nō tantum ſecularibus, ſed omnis, inquit, anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, etiam-ſi ſit Apoſtolus, ſiue Euangeliſta, ſiue Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris. Ita nec illos qui videbantur eſſe columnæ cæterorum ex hac obedientia erga Reges excipit. Igna- *Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes.*
tius vero Apoſtolorum Synchronos & diſci-

diſcipulus cum in omnibus epiſtolis alios admoneat vt obediant Cæſari, tum ordinem ipſum obedientiæ in epiſtola ad Smyrnenſes explicat his verbis, Honora, inquit Petrus, fili Deum & Regẽ, ego vero dico, honora quidem Deum vt authorem vniuerſorum & Dominum, Epiſcopum vt ſacerdotum Principem, imaginem Dei ferentem, Dei quidem per Principatum, Chriſti vero per ſacerdotium, & ſecundũ ab eo honorare Regem oportet. Neque enim Deo potior eſt quiſquam, aut compar in omnibus rebus, neque etiam in Eccleſia quicquam Epiſcopo maius, Deo ſacra faciente pro totius mundi ſalute; neque Regi cõpar eſt quis in Principibus pacẽ & æquitatẽ ſubditis procurãti? Et in epiſtola ad Antiochenſes, Cæſari, inquit, ſubditi eſtote in ijs in quibus ſubdi nihil periculi eſt. Gregorius vero magnus agnoſcit Deũ Imperatori omnia tribuiſſe, & dominari non ſolum militibus ſed etiam ſacerdotibus conceſſiſſe. Poſt quem Bernardus ad Henricum Senonenſem Epiſcopum, Si omnis anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe debet & veſtra, quis

Ignatius in epiſtola ad Antiochenſes.

Epiſtola 64. lib. 2.

Epiſtola 42.

quis vos excipit ab vniuerſitate? qui tẽtat excipere, tentat decipere. Quod ne quis in alienum sẽſum detorqueat, quaſi libertati Eccleſiæ præiudicare velimus, hoc nos patres iſti docere voluerunt, quandoquidem Epiſcopi & clerici, ciues ſint Reip. terrenæ, debere etiam eos in omnibus quæ non ſunt contra Dei legẽ aut ſacroſq; canones, quibus nec poteſtas terrenorum Principum tollitur ſed ſtatuitur, obedire. Hæc enim vt excipiamus docet vel ipſe Iuſtinianus Imperator qui ciuiles leges non dedignari ait, imitari ſacros canones. Sed de Exemptione (vt loquuntur) clericorum alio loco copioſius dicemus.

Iuſtinianus in nouella 83. in fine.

Capvt qvintvm.

In quo reſpondetur Lutheri & Anabaptiſtarum argumentis ſuperius propoſitis.

Qvæ cum ita ſint, vt & naturę iure, & ſcripturarũ authoritate, & inſtituto diuino, & omnium temporum exemplis, & ſanctorum conſentientibus ſuffragijs probatum ſit eſſe aliquém debere qui multitudinem regat, eique ab omni-

omnibus in vniuerſum obtemperādum eſſe, Quæ (malum) iſtos inſania coegit Chriſtianis licentiam hanc tribuere vt colla ſua ex ſuauiſſimo iugo Regum & Magiſtratuum excuterent? Fortiſſimis, inquiunt, rationibus ipſius Lutheri & ſcripturarũ authoritate inducti ſumus: Quæ tandem quæſo illæ rationes aut ſcripturæ ſunt? Quia Chriſtiani, inqui-
Rom. 12. unt, õnes fratres ſunt, & Paulus admonet vt vnuſquiſque alterum pro ſuperiore habeat, itemque Petrus, Cuncti inui-
1. Petri 5. cē, ait, ſubditi eſtote. In epiſtola autē ad
Philipp. 2. Philippenſes ſcriptum eſt, In humilitate ſibi inuicem ſuperiores arbitrantes, & Chriſtus Dominus, Cum inuitatus fue-
Luc. 12. ris ad nuptias ſede in infimo loco: Item
Ioann. 8. illa, Si vos filius liberauerit vere liberi eritis & pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui
1. ad Cor. 2. hominum, & cætera huiuſmodi. Quaſi vero inter ipſos fratres in eadem familia non ſit vnus qui cæteros pręcellat, & cui ab alijs principatus quidam merito tribuēdus ſit, cum & ætate & prudentia eos antecellat, & inter infideles qui natura omnes fratres ſunt, non ſit poteſtatis quædam inter ipſos diſtinctio, vt ſuperius

rius multis argumentis oſtẽdimus, quaſi & Apoſtoli fratres omnium Chriſtianorum non eſſent, & tamẽ Apoſtolatus iure cunctis ſuperiores, aut illi Epiſcopi, de quibus in Actis Apoſtolorum dicitur, Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: non erãt ſuorum ſubditorum Patres, ijdem tamen & fratres gregis ſui fuerũt, & Paſtores ac Rectores a Domino conſtituti. Fraternitas igitur gratię vel naturæ authoritatem hominum aut dominia rerum non tollit, nec euertit, quæ quibuſdam præ cæteris iure ſiue naturę, gentium, aut ciuili, aut etiam a Domino Deo attributa ſũt. Nec enim gratia deſtruit naturã ſed perficit. Neq; Chriſt⁹ venit mortalia eripere qui regna dat cæleſtia. Quã autem præpoſtere imo falſo verba ſcripturæ ille Euangelij illorum quinti Phænix Lutherus citet, omnes intellexiſtis qui Apoſtolos vnquam loquentes audiuiſtis? Cũ nec Paulus nec Petrus iuxta veterem & cõmunem interpretem iſtis plane verbis vtatur, ſed ſit hæc licentia hęreticorum, vt non ſolum in bona Eccleſiaſtica, in

Act. 20.

Sedulius.

in corpora, in animas pretioſo Chriſti ſanguine redēptas, quas captiuas tenent ad Diaboli voluntatem, ſed in ſcripturas ſacras Dei digito exaratas hoc ſibi iuris impie vſurpent, vt eas pro arbitratu ſuo detruncent, mutilent, figant, refigant, tranſuertant, & in quemcumque volent ſenſum detorqueant, quandoquidē non noſtrorum ſolum hæreticorum ſed antiquorum omnium & maxime ipſius Diaboli hæreticorum omnium Patriarchę, quando cum Chriſto Domino diſceptauit proprium,& peculiare fuit ſacras literas vel peruertere vel dilumbare. Quid autem Lutherus affingit Paulo? nimirum vt iubeat vnumquemque alterum pro ſuperiore tenere. Quo loco quęſo Luthere? in epiſtola, inquis, ad Romanos. O hominē infidelem & egregie deprauatorē? ſed quo loco illius epiſtolæ? in c. inquis, 12. Ego autē cum omnes voculas & ſyllabas & apices illius capitis peruoluo, nihil tale inuenio. Inuenio autem eam ſententiam ad quam fortaſſis iſte alludit, Charitatem fraternitatis diligētes, inuenio etiam ibi, Honore inuicem præuenientes. An hoc quęſo eſt vnum-

vnumquemque inuicem pro ſuperiore tenere? hæc tua gloſſa & interpretatio peruerſa eſt, hoc nec Paulus intellexit, nec ſcripſit quod tu illi impingis. Hoc nullus veterum qui Spiritu Sancto illuſtrati in Paulum commentarios ediderunt deprehendere potuit. Quis ergo, inquis, ſenſus verborum Pauli eſt? Non eſt inquam Pauli inſtitutum Principes & poteſtates inſtruere ſed communes Chriſtianos, quid ipſi ſibimutuo debeãt, vult enim primum vt ſe ament, deinde vt ſibi etiã inuicem honorem deferant, non quemcumque, ſed vt certatim ſtudeat vnus alterum beneficijs cumulare; hoc eſt enim alios præuenire honoribus, vitæ huius ſubſidijs priores illos iuuare. At, inquis, ex lege charitatis aut a Chriſtiani viri officio nec ipſi Principes eximendi ſunt: aſſentior, nec tamẽ quę de charitate aut Chriſtiani hominis officio præcipiuntur omnibus eodem modo & ratione conueniunt; vis ergo iſta de vulgo Chriſtianorum dicta ad Reges & Magiſtratus accommodemus? habent hic ſuperiores omnes quod contemplentur dum alijs præſunt, eis non tanquam ſer-

uis imperare aut pediſſequis ſed fratribus,vnum in eis Deum pręſentem colere, vnam naturam humanam & ſpeciem amare,vnam charitatis legem , eadem ſacramenta quibus in Chriſtiana vita initiati ſunt reuereri , ad eandem denique hæreditatem vitæ ęternę, quæ ipſis cum ſubditis (licet pro meritorum ratione maior vel minor erit eius fruitio , eſt tamen eadem res , qua omnes fruemur) aſpirare . De cætero præueniant ſubditos honore, non vt ipſis aſſurgant, genu flectant , aut coram eis ſe proſternant ijſue obtemperent, ſed quibus poſſint beneuolentiæ ſignis complectantur, iuuent, & defendant. Vides ergo non hoc deberi ſubditis a Principibus viris vt ipſis viciſſim pareant & obediant , ſed vt iſtis tãquam filijs vel potius tanquam fratribus Chriſtianis dominentur & imperent. Et

Auguſt. ep. 109. quia contra fratrem Auguſtinenſem , quamuis perfugam & Apoſtatam ago, libet hic verba regulę Auguſtinianę deſumpta ex quadam eius epiſtola, in quæ verba Lutherus ipſe iurauit, proferre, vt omnes intelligãt non illo honore qui in ſuperiores cadit, etiam infimos quoſque

eſſe

eſſe proſequendos, ſed honore potius ſuſtentationis & ſubſidij aut alio quouis modo, debereque ſuperiorem ita in ſubditum ſe gerere vt nõ ſe illi humiliet, aut faſces ſubmittat, quamuis forte in eum deliquerit, ſed Deo. Capitulum autem 40. regulæ ſic habet. Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, ſi etiam ipſi vos modum exceſſiſſe ſentitis, non a vobis exigitur vt a veſtris ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas, ſed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino qui nouit etiam eos quos plus iuſto forte corripitis, quanta beneuolētia diligitis (non autem carnalis ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio) & rurſum, Prępoſito tãquam patri obediatur, multo magis pręsbytero qui omnium veſtrum curam gerit. Hic Auguſtinus ſicut amorem & charitatem ſuperioris erga ſubditos requirit eamque non carnalem ſed ſpiritualem, ita prudenter monet vt ſuperior partes ſuas tueatur, neque ſubditum ſuum eodem

c. 40. regulæ Auguſt.

c. 41.

honoris genere quo alter ipſum proſequatur vt ipſi videlicet in õnibus pareat & obtemperet vel ab ipſo etiam offenſo veniam petat,ſed vt authoritatem regendi ſeruans, ſi quid interim ab ipſo verbis peccatum fuerit in ſuos, ab omniũ Domino veniã petat,ſed in hoc Apoſtoli loco explicando vereor ne nimis prolixus fuerim,ad alia veniamus. Petrus, inquit,
1.Petri 5. iubet vt cũcti inuicem ſubditi ſimus; quo loco dici non poteſt illum communiter de Chriſtianis loqui ſed etiam de ijs qui præſunt:quia paſtores alloquẽs ait, Paſcite quãtum in vobis eſt gregem Chriſti, prouidentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum neq; turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris ſed forma facti gregis ex animo.Et cum apparuerit Princeps paſtorum percipietis immarceſſibilem glorię coronam: Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Poſt quę verba non vt Lutherus legit, ſed in veteri vulgata editione ſequitur, omnes autem inuicem humilitatem inſinuate, græca tamen lectio eius partibus fauet, quę ſic habet: πάντες τοῖς ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινο-

πειvοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. Hoc eſt, omnes vobis mutuo ſubditi humilitatem inſitam & infixam habete, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. In quo loco ne quidem ſi vt græca ſonant legamus pro Luthero aliquid facit. Sed quia circumſtãtia ſcripturæ ſententiam illuminat coarguere mihi videtur non Regum ſed paſtorum quorumdam ſpiritualium corruptos mores, qui ipſi de ouibus ſuis nullam ſollicitudinẽ habentes non ſe demittunt ad illam curam, ſed alios conducunt qui ſua vice apud eos fungantur, ipſi interim dum delicijs vndique circumfluũt indignum eſſe putant ouium curam in ſe ſuſcipere, niſi forte vt Apoſtolus ait, turpis lucri gratia, vel vt ambitioſe illis pręeſſe & dominari videantur, quales Paſtores Dominus per Prophetam Ezechielem grauiſſime reprehendit, eiſque exitium minatur extremum, dicens: Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges a paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis & gregẽ meum non paſcebatis, quod infirmum

Aug. in lib. 83. quæſt. q. 69.

Ezechielis 34.

fuit non conſolidaſtis, & quod ęgrum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis & quod perierat nō quęſiuiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis & cum potentia. Contra hos paſtores mercenarios qui non paſcunt ſed deglubunt gregem, qui nihil ad ſe pertinere putant de ouibus modo decimas & tēporalia metant, Apoſtolus diſputat, nō tātum monens adoleſcentes vt ſubditi ſint ſenioribus, ſed paſtores ipſos & ſeniores vt ſe ſubijciant curæ gregis, nec eam a ſe alienam deputent, imo vt cuncti humilitatem illam vt græca interpretati ſumus infixam in cordibus teneant. Neque enim parua eſt humilitas, eum qui quaſi Deus quidam in terris alijs authoritate & honore prępollet exiſtimare inferiores & ſubditos ſuos eſſe quaſi membra quędam corporis ſui, in quibus curādis, conſeruandis, ſanandis nullus noſtrum remiſſe agere debeat, ſed omni ſtudio & ſollicitudine prohibere ne quid vel minimum membrum detrimenti capiat, quia quicquid illi decedit, nobis & toti corpori decedit. Atq; hāc fuiſſe genuinam

nam Apoſtoli ſententiam ipſe locus ſi diligenter perſpiciatur docebit. At in epiſtola ad Philippenſes qui locus videtur Lutheri lynceos oculos effugiſſe, exiſtimatur aliquid eſſe quod huic Anabaptiſtarum & Puritanorum abſurdo dogmati patrocinetur; ait enim, Nihil per cõtentionem aut per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, ſed neque pro Anarchia iſtorũ quicquam facit, quin potius egregio documẽto eſt omnibus Chriſtianis, vt quicumque videlicet virginitatem profeſſi aut Religionem ingreſſi vel aliquod eximium donum a Domino Deo cõſecuti ſunt, non ſe propterea præ alijs extollãt neue cęteros paruipendant, ſed humiliter de ſe ſentiant, putentque in alijs qui ipſis profeſſione, ordine aut dignitate longe inferiores ſunt poſſe latere aliquas virtutes potiores per quas maioris ſint apud Deum meriti, quia vt virtutes aliorum nemo nouit, ita nec occulta vitia ſua penitus nouiſſe ſe putet. hoc modo Auguſtinus ſãctam virginem inſtruit vt tametſi virginitatem præponat coniugio, non audeat tamẽ ſeipſam cui-

Philip. 2.

Aug. c. 44. de Virginitate.

cuiuis coniugi prꝫferre. Sed Auguſtini verba audiamus: Cum ābæ, ait, ſint obedientes præceptis Dei, itane trepidabit ſanctam virginitatem etiam caſtis nuptijs, & continētiam præferre connubio, fructum centenum præire duceno? Imo vero nō dubitet hāc rē illi rei præponere. Hæc tamen vel hæc virgo obediens & Deum timēs, illi vel illi mulieri obediēti & Deum timenti ſe anteferre non audeat, alioquin non erit humilis, & Deus ſuperbis reſiſtit. Quid ergo cogitabit? occulta ſcilicet dona Dei quæ nō niſi interrogatione tentationis etiam ſemetipſum vnicuique declarant. Vt enim cætera taceam, vnde ſcit virgo quamuis ſollicita quæ ſunt Domini, quomodo placeat Domino ne forte propter aliquam ſibi incognitam mentis infirmitatem nondum ſit matura martyrio! illa vero mulier cui ſe præferre geſtiebat iam poſſit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem prius bibendum diſcipulis amatoribus ſublimitatis oppoſuit? vnde inquā ſcit ne forte ipſa nōdum ſit Thecla, & ſit illa Criſpina? Hæc Auguſtinus. Atque hæc de omnibus Chriſtianis & in hoc ſen-

ſenſu intelligenda eſſe ex ipſis verbis ſequentibus conuincitur, cum addit, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes ſed quæ aliorum. Ita Rex aliquis & Epiſcopus tametſi non defungantur officijs ſuis, ſaluo honore Regio & Epiſcopali, cum proprias infirmitates recognoſcunt aut verentur & reformidant, exiſtimant ſæpenumero eos quibus præſunt in maiori gratia eſſe apud Deum propter occultas quaſdam & reconditas virtutes quæ in ſubditis eſſe poſſunt, quamuis forinſecus non appareant, aut ſuas quaſdã latentes & abditas imperfectiones quas quia profundum eſt cor hominis & inſcrutabile, nemo penitus hominum poſſit diſcernere. Sed fingamus Magiſtratũ aut Principem ſcire per omnia ſe meliorem virum eſſe ijs quibus dominatur. Cum tamen cogitat neminem poſſe eſſe ſecurum in hac vita, quę tota tentatio eſt ſiue militia ſuper terram, vt qui factus eſt ex deteriore melior, nõ idem fiat ex meliore deterior, vt præclare Auguſtinus alicubi philoſophatur, cumque in ſubdito quãuis peſſimo Chriſti perſonã agnoſcit, non habet certe quod ſe extollat Aug. lib. 10. confeſ. c. 32.
aut

aut criſtas erigat ſed potius vt humilius & ſubmiſſius erga Chriſti perſonam præ ſe ferentem, ſe gerat.

Lucæ 12. Iam quod Chriſti verba apud Lucam obijciat perridiculum eſt, cum ad Reges & Magiſtratus nihil ſpectent ſed ad eos ſolum qui præſiliunt, vt ait Cyrillus, ad honores qui ipſis non conueniunt. Et quamuis de primo accubitu in nuptijs loquatur, ex hoc exemplo petito à rebus minimis nos docet non temere irruere aut nos inijcere in honores ac dignitates, ſed expectare donec a Deo aut ſuperiore vocemur. Huc igitur Chriſti ſermo tendit vt nemo ſibi ſumat honorem niſi qui vocatur a Deo tãquam Aaron: Et ſicut bonus medic⁹, ait Theophylactus, cum ſollicitus ſit ſanare Podagrum, ictũ digiti aut dentis dolorem non dedignatur curare, ita Chriſtus humilitatis magiſter omnem ramum prauæ radicis amputat. Quid igitur iſta ad eos ſpectant quos Deus in huiuſmodi authoritate collocauit? His ita expoſitis cætera quæ plenis buccis crepant quaſi firmiſſima præſidia eſſe ſui erroris nihil nos remorari poterunt. Quid enim ſi Chriſtus dixerit,

Cyrillus citatus a D. Thoma in Cathena.

Theoph. in c. 12. Lucæ.

dixerit, ſi vos filius liberauerit vere liberi eritis, & Apoſtolus ad Corinth. Prætio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominũ; quid ſi hoc eis gratis detur hãc eſſe libertatem Euangelicam quam per Chriſtum conſecuti ſumus, vt non amplius ſeruiamus hominibus, an propterea ſuperiores nulli apud Chriſtianos futuri ſunt? Reges noſtros & Magiſtratus cõtemnemus? parentibus non obediemus? Dominis carnalibus cum aliquid iubeant aut præcipiant reſiſtemus & repugnabimus? quaſi nos & lex ipſa Euangelica & Apoſtolorũ literæ non lõge aliud doceant. Quin potius hæc omnia argumẽta ex mera imperitia & ignoratione ſcripturarum profecta ſunt. Non enim libertas euãgelica ab õni nos hominũ ſeruitute exemit, ſed tantũ a iugo legis Moſaicę: quod neq; Apoſtoli, neq; patres eorũ portare potuerũt, a ſeruitute peccati & a captiuitate Diaboli Chriſtianos liberauit. De reliquo quãdiu in hoc mortali corpore ſumus obſeruandũ eſt quod Dominus pręcepit, Reddite quę ſunt Cæſaris Cæſari, & vt monet Apoſtolus, Cui tributum tributum, cui honorem hono-

Ioan. 8.
1. ad Cor. 7.
Act. 15.
Math. 22.
Rom. 13.

honorem, alioquin libertas hæc Euangelica omnium eſſet radix & ſentina vitiorum, cũ idem Apoſtolus, Vos, inquit, in libertatem vocati eſtis, tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis: & D. Petrus, quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Quare & illa Chriſti verba, vere liberi eritis, de iugo legis, de ſeruitute peccati & diaboli sũt intelligẽda, & Paulus vetans ne fiamus ſerui hominum, nõ prohibet omnino ne ſeruiamus hominibus, cum in eodem c. dicat, Seruus vocatus es, non ſit tibi curæ, ſed ſi potes fieri liber magis vtere; ſeruitute ſcilicet, vt magis quis in ſeruitute manere cupiat, quã libertate oblata frui. Hoc igitur ſolum vult, non amplius quemquam debere ſeruire hominibus ad malum incitantibus aut contra legem Dei aliquid iubentibus. Quod & D. Ignatius explicat, Cęſari, inquiens, ſubditi eſtote in ijs in quibus ſubdi nihil periculi eſt: & D. Bernardus, ſiue Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſeruandũ eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi

Gal. 5. *1. Petri 2.* *Ignatius in epiſtola ad Antiochẽſes. Lib. de precepto & diſpenſatione.*

vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Atque ita puto a me ſatisfactum eſſe argumentis ab ornatiſſimo D. Præſide allatis & omnibus hæreticorum ratiunculis. Cætera ſi quę reſtent aut deſiderentur aut hoc tempore modo vrgeantur, aut alias cum vacauerit cumulatius ediſſeram.

Capvt sextvm.

An non liceat aliquando ſubditis arma in Reges & Magiſtratus ſumere, ſi tyrannidem in plebe exerceant, aut tributa grauiora populo imponant.

Movit nonnullos hac tempeſtate idem qui a D. Præſide ſcrupulus propoſitus eſt, & vereor ne pleroſque ſane permouerit vt inconſiderate & temere contra legitimos Principes arma in manus ſumerent. Ad quem tollēdum illud nobis certum in primis & conſtitutum ſit nullam rebellionem eſſe licitam, niſi vbi bellum poteſt eſſe licitum. Non eſt autem bellum licitum niſi quod ſuperioris authoritate geritur: Ordo enim *Auguſt. 22. contra Fauſtum c.75.* ille, vt ait Auguſtinus, mortaliū paci ac-

com-

commodatus hoc poſcit vt ſuſcipiendi belli authoritas & conſilium apud Principes ſit,non ergo penes ſubditos. Deinde vidẽdũ eſt quæ ſit Principis poteſtas, an per legem Regiam populus omnem ſuam poteſtatem tranſtulerit in Regem, eique dederit abſolutum & non circumſcriptum imperium,vt ſunt illi Reges & Principes qui ſuperiorẽ non agnoſcunt; an vero definitum & ſuis terminis comprehẽſum, qualis eſt dux apud Venetos. Cur autem cõtra Principem abſolutum arma ſumant vix vlla cauſa iuſta eſſe poteſt,cum, vt illẽ ait, Lex naturalis ordinẽ ſeruari iubet, perturbari vetat: eſt autem ordo naturalis vt inferiora ſuperioribus, deteriora melioribus ſubſint. Et cum nõ ſit poteſtas niſi a Deo, quæ autem a Deo ſunt, ordinata ſunt, ordo hic naturali & diuino iuri prorſus eſt cõſentaneus,quia non ſine cauſa Rex gladium portat, Dei enim miniſter eſt in hoc cõſtitutus. Nec cuiuis licet præter ipſum hunc gladium exerere,cum D. Petro dictum ſit, Conuerte gladium tuum in vaginam ſiue locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium gladio peribũt. Gladium

Aug. lib. 1. de lib.arb. c. 2.

Rom.13

Math.26. Ioan.18.

autem accipere ſiue eo vti, vt Auguſtin. legit, eſt nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel iubēte vel cōcedēte in ſanguinem alicuius armari. Quod ſi in ſua adminiſtratione Princeps hic abſolutus peccet, nō populo ſed Deo reddet rationem: quia poſtquam lege Regia populus in Principem poteſtatē ſuam omnē tranſtulit, non licebit ei cum volet eandem retractare, aut ſe rebus communibus immiſcere. Scitum eſt illud Valentiniani Senioris, qui cum militum fauore eſſet in Imperatorem electus, pauloque poſt exercitus tētaſſet illi alterum aſſignare conſortem imperij, reſpondit voce tanto Principe digniſſima, Veſtrum fuit o milites Imperatore non exiſtente mihi dare regimē Imperij; verum vbi hoc ego ſuſcepi, meum iam & non veſtrum eſt de rebus cogitare cōmunibus. Cuius verba mirati milites eius ſecuti ſunt voluntatem. Seuere igitur agat Princeps cum ciuibus ſuis, videatur leges regni non ſeruare, quiduis denique faciat, modo non in grauiſſimam & intolerabilem tyrannidem incidat, vt ob eam rem deſinat eſſe Rex; neque hoc ſubditorum quorum ple-

Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 70.

Theodoretus in hiſt. trip. lib. 7. c. vlt.

plerumque animi ex leuibus cauſis nimis ſunt in Principes exacerbati, ſed aliorum recte ſentientium iudicio, aut tale crimen committat, propter quod è communione fidelium expellatur, ferēdus eſt, omniaque potius cogitanda bono ciui quam vt in legitimum Principē
4. Reg. 5. rebellet. Naaman Syrus poſtquam diuino beneficio liberatus fuit a teterrima lepra, Regi tamē ſuo infideli & idololatrę non modo paruit, ſed loco ſcipionis
1. Reg. 24. & bacilli cui inniteretur fuit. Dauid cum ſciret Saulem Regem a Domino derelictum ſeque eius loco deſignatum eſſe, tamen cum illum in poteſtate ſua haberet quāuis tyrānice ſe gerentē nec occidere nec priuare regno ſuo voluit; Quin potius quia particulam chlamydis eius præſciderat graui conſcientię ſcrupulo tactus fuit, eumque deinceps quoad viueret ſemper vt vnctum Domini & Regem ſuum obſeruauit & coluit. Primi Chriſtiani quid non calamitatum ab infidelibus Imperatoribus ſunt perpeſſi? ijdem tamen nec obſequia debita illis detrectarunt & pro eis orandum continuo eſſe Deum & verbo & exemplo docuerunt.

cuerunt.

cuerunt. Tantum vero abeſt vt rebellare in Principes liceat, vt audiuerim aliquando a Iuriſcõſultiſſimo viro D. Frãciſco Balduino, qui propter diuturnam in Gallijs commorationem & frequentiſſimã cum hominibus illius patriæ vitæ conſuetudinem, ad quem quotidie domi ſuæ ſalutandum optimi quique & doctiſſimi ventitabant, res Gallicas bene nouerat, in archiuis regni Frãciæ memoriæ proditum eſſe quendam ex Borboniorum familia illuſtriſſimum virum, & Regi ipſi ſanguine coniunctiſſimum, cum eſſet aliquandiu a Regis amicitia propter quædam quæ ſiue in eum deliquerat ſiue aliqua alia quæ interceſſerãt, ablegatus, certis quibuſdam conditionibus in gratiam cum Rege ſuo redire cupientem iudicio parliamenti reum læſæ Maieſtatis arceſſitum fuiſſe vel hoc ſolo nomine, quia vt iſti formularij male latine ſed bene plane loquuntur, voluit capitulare cum Rege. Et nos non ſolum conditiones Regibus noſtris ſuppliciter proponere, ſed etiam ſumptis armis in eos rebellare audebimus? Quod ſi quis priuatus in alium priuatum inſurgeret,

Franciſcus Balduinus.

nemo toleraret: quia mihi vindictam & ego retribuam, ait Dominus: quanto minus ciuibus contra legitimum Regẽ, & Principem conſpirare liceat? Accedit quod in populari tumultu & ciuili ac pernicioſo hoc bello ſtatim vt ad arma conclamatum fuerit, tota quaſi Reſpub. cõtremiſcit, permiſceri, conturbari, cõfundi omnia & ipſa veluti Reipub. facies totuſque eius ſplendor atque decor concidere & euaneſcere ſoleat. Sed replicemus annales, ad præterita tempora reuoluamur, repetamus omnes omnium gentium hiſtorias, libros tam ſacros quam profanos conſulamus, & nuſquam fere rebellionis erga legitimos principes fauſtos fuiſſe exitus reperiemus. Cuius rei teſtis eſt ãpliſſima hæc Belgia, teſtis Gallia, teſtis vicina Anglia, teſtes etiam noſtra pene memoria Germania & Hiſpania fuerunt, quarum vtraque in Carolum Quintum arma ſumpſit, ſed infælici euentu. Non eſt opus longinqua repetere, cum tam multa recentia & quaſi domeſtica exempla habeamus, vnum tãtum atque alterum ex antiquitate pro-
3. Reg. 12. ducam. Hieroboam quãuis optime ſucceſſerit,

ceſſerit, quia Dominus & Regi & toti populo Iſraelitico infenſus, maiorē regni partem ad eum transferre voluit, nec iniuſtum eſſe potuerit quod Dei nutu ac voluntate factum eſt. At Abſalon Dauidis filius contra patrem rebellans miſere perijt. Similes omnino exitus habuerūt Maximus, Arbogaſtes & Eugenius contra Theodoſium magnum, qui diuina plane vi, ſine multo, vt aiunt, ſanguine & ſudore extincti ſunt, de quib⁹ D. Ambroſius: Maximus, inquit, & Eugenius in īferno docētes exēplo miſerabili quā durū ſit arma ſuis principibus irrogare: Cōtra huius autē Theodoſij filios Arcadiū in Oriēte Ruffinus & Ginas, cōtra Honorium vero in Occidente pro Aphricæ ditione Gildo & Maſcelzel; pro toto imperio Stilico, Eucherius, Gratianus, pro Britannia Conſtantinus & Cōſtans eius filius, pro alijs partibus Gerōtius, Maximus, Iouinus, Sebaſtianus, Attalus, Tertullus Heraclianus cōſpirarunt: de quorum omnium miſerabili cæde & exitio, quos magna ex parte Conſtantius comes incredibili fęlicitate debellauit, Paulus Oroſius breuiter ſed dilucide ſatis

Cōſule lib. 3. Regū, c. 11.

2. Regū 18.

Paulus Oroſius lib. 7. c. 35.

Amb. de obitu Theodoſij.

lib. 7. c. 36.

c. 37. 38.

lib. 7. hiſt. c. 40. 41. 42.

pertractat. Sed quid ſi inquies, violauit ius regium? verendum potius eſt ne populus violarit officium ſuum. Et ſi in rebus dubijs liceat nobis vti pręſumptionibus, experiamur hoc quibuſdam quaſi præiudicijs probare. Si enim Princeps aliquis ſit qui rite & legitime in alijs ſuis regnis & ditionibus gubernet, qui Catholicam fidem defendat, iuſtitiam ſeruet & colat, qui apud Proceres Eccleſiæ vbique bene audiat, qui natura mitis & moderatus ſit, qui a bonis omnibus etiā qui illum nunquam nouerunt ametur & colatur, cuius mali omnibus modis potentiam & authoritatem frangere & diminuere contendunt: huic ſi cum populo alicuius ditionis ſuæ parum conueniat, non auderem illum tyrannum aut parum commodum principem nominare, ſed potius populum ſuum quorundam artibus ſeditioſis in illum concitatum eſſe iudicarem. Qui ſi quid præter ſolitum aut ab illo populo exigat, aut illi durius imperet quam conſueuit, non ſine certa & iuſta cauſa hoc facere cenſendus eſt. Pulchre enim Auguſtinus licere ait Regi in ciuitate in qua regnat iu-

Aug. lib. 3. Confeſ. c. 8.

bere

bere aliquid quod neq; ante ipſum quiſquam nec ipſe vnquam iuſſerat, & ſi non ſit contra ſocietatem ciuitatis eius, obtemperetur ei: Generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ obtemperare Regibus ſuis. Sed nec leges illæ initæ cum Rege amplius obligant quam aut neceſſitas Reipub. patiatur aut populus eis legibus regi poſſit. Fit enim ſæpenumero, vt alio in libro obſeruauimus, vt Reges cogantur vti Deſpotico dominio pro Regali & paterno, vel propter commune bonum ciuium aut in pænam delinquentium, & Ariſtoteles quaſdam ait eſſe regiones quæ reguntur a Tyrannis, quia tales ſunt vt moderatum imperium ferre non poſſint; quale regimen in Græcia & apud Perſas olim fuit. Sicuti & bonus pater aliter ſe gerit erga filios obſequentes, aliter erga pertinaces, nec tamē pater eſſe deſinit, aut filios ſuos amare: Nam & hoc poſito & conceſſo quod ſocietas hominū ſub vno Principe ſit naturalis, omnia quę ſunt neceſſaria ad eius conſeruationem ſunt de iure naturæ. Itaque & ſeruitutes populorum, vt Gerſon ait, in ijs quæ non ſunt contra legem Dei

In exhortat. ad pacem.

D. Thomas lib. 3. de regimine Principum c. 11.

lib. 3. Politicorum c. 40.

Gerſon in regulis moralibus, c. de Auaritia.

Dei & naturæ poterunt ex ſuis vel patrũ demeritis vt conſpirationibus & rebellionibus rationabiliter introduci. Sicut
1. Regum 8. Iudæis poſtulantibus Regem Deus graue onus impoſuiſſe videtur cum ait, hoc erit ius Regis, filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & prçcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi Tribunos & Centuriones & aratores agrorum ſuorum & meſſores ſegetum & fabros armorum & curruum ſuorum, & quæ ſequuntur, locus enim omnibus eſt notus & a me alibi
Aug. lib. 1. de libero arb. c.6. pertractatus. Hoc eſt quod & Auguſtinũ impulit vt diceret, Si paulatim deprauatus populus, cui lege permittebatur creare ſuos Magiſtratus, rem priuatam Reipub. prçferat atque habeat vęnale ſuffragium, corruptuſque ab eis qui honores amant, regnum in ſe factioſis conſceleratiſque committat, nonne item recte ſi quis tum extiterit vir bonus qui plurimum poſſit, adimat huic populo poteſtatem dandi honores, & in paucorum bonorum vel etiam vnius redigat arbitriũ? ita alicui populo data olim priuilegia aut reſeruata, cũ in perniciem Reipub.

pub. illis abutantur a Rege aut ſuperiore reſtringi poſſunt. Sed fingamus eſſe aliquãdo Principes, qui vt vir quidam doctus & ſanctus noſtri temporis ſcripſit, tyrannice in ſuas libidines expilent plebem, nihilominus propter principatum honorãdi ſunt, & ſi timeatur ex negatione tributorum Reipublicæ perturbatio, etiam eis tributa perſoluenda sũt & impoſitiones iniquæ, orandúſque eſt Deus vt eis det ſaniorem mentem. Cum ergo rebellio ſine grauiſſima Reipublicæ perturbatione & calamitate concitari non poſſit pro grauioribus tributis impoſitis omnino rebellandum non eſt. Ne lõge abeamus, ipſe Chriſtus cum tributum non deberet, ſed eſſet immunis, & vt ita dicam exemptus, quia filius erat Dei naturalis, ad vitandum ſcandalum & Reipub. perturbationem, neue alij ipſius exemplo ſoluere recuſarẽt, iuſſit dari pro ſe & Petro, alijſque idem præcepit dicens, Soluite quæ ſunt Cæſaris Cęſari: & Apoſtolus, Reddite, ait, omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal: vbi, vt Chryſoſtomus recte animaduertit, non hęc dari tãquam gratiam

Ioãnes Heſſels a Louanio in 4. præceptum.

Vide Thomã de regimine Principum lib. 1. c. 6.

Math. 17.

Math. 22.

Rom. 13.

Chryſ. hom. 23. in epiſtolam ad Rom.

tiam ſed reddi tanquam debita iuſſit. Etenim propterea ab antiquis tẽporibus communi omnium ſententia Principes a nobis ſuſtentari debere viſum eſt ob id quod ſua ipſorum negligentes communes res curant, vniuerſumque ſuum otium ad ea impendunt quibus non ſolũ ipſi ſed & quę noſtra ſunt ſaluentur: hæc Chryſoſtomus. Quod ſi etiam tyrannice iſta imponat abſolutus iſte & legitimus princeps, ſequamur illud Auguſtini dictum, quod Cæſar præcipit ferendum eſt, quod imperat tolerandum, non ergo arma ſunt in eum ſumenda. Quod & in alijs omnibus rebus, quibus ſine grauiori incommodo reſiſti non poſſit, fieri iuſſit Chriſtus, ſi quis inquiens velit tecum in iudicio contendere & tollere tunicam tuam, dimitte illi & palliũ, & ſi angariauerit te mille paſſus, vade cum eo bis mille. Sed quid nos pro latifundijs, poſſeſſionibus aut pecunijs noſtris ita dimicemus; cum non dubitem affirmare cum Imperatore Iuſtiniano non ſolum in ijs quæ ad fiſcum & patrimonium Regis pertinẽt, ſed in neceſsitate Reipub. omnia in vniuerſum Principis eſſe; cum & legam

Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 74. Ad hoc, inquit, tributa preſtantur, vt propter bella neceſſario militi ſtipendium prebeatur.

Aug. ſer. 19. de verbis Domini.

Math. 5.

l. bene à Zenone. C. de quadriennij præſcriptione. l. deprecatio, ff. ad l. Rhodiã de iactu.

legam Imperatorem Antoninum alibi recte mundi dominũ vocatũ fuiſſe. Non habet autem quilibet legitimus Princeps minorem poteſtatem in ſuo regno quam Imperator ille in orbe Romano habuit. Quod non eo dico vt Turcarũ more putem imperandum vt penes nullum ſit rerum ſuarum proprietas, ſed Regis ſint omnia, ſed quia cum neceſſitas Reipub. aut commune bonum hoc expoſcit, omnia vſque ad induſia incluſiue tradenda sũt Principi, imo & quod intra induſia eſt vita ſcilicet corporis exponenda eſt, quia hic nec bonis externis nec corpori & vitæ parcendum erit. Atque hoc eſt quod idem Gerſon recte cẽſuit, omnia eſſe Principis non proprietario iure nec pro ſe, ſed pro neceſſitate Reipub. quod nemini mirum videri debeat, cum neceſſitas extrema perſonæ ſingularis faciat vt aliena etiam ſint tua. Sed o miſeram conditionem noſtram! Tantum nimirum, vt quidam ait, ex publicis malis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinet; nec in eis quicquam acrius quam pecunię damnum ſtimulat, qua ne careamus Rempub. etiã ſinimus in diſ-

Io. Gerſon in regulis moralibus, numero 24, litera T.

Lucius Valerius apud T. Liuium in oratione pro mulieribus.

in diſcrimen adduci. Romanæ mulieres & matronæ vrbe a Gallis capta, aurum quo redempta eſt conſenſu omnium in publicum contulerunt. Bello Punico ſecundo aurum & argētum omne a Senatoribus ducto initio vnuſquiſque in publicum conferebat, viduæ & pupilli pecunias ſuas in ærarium detulerunt, cautumque erat vt ne plus auri & argenti facti & æris ſignati domi haberetur, & cum tali tempore in luxuria ac ornatu matronæ incederent, ad eas coercēdas lex Oppia lata fuit. Iudæi viri & mulieres ad tabernaculum Domini conſtruendum &

Exo. 35.36.

decorandum offerebãt pluſquam neceſſarium erat, ita vt Moyſes edicere cogeretur ne amplius quis offerret. Neque id ſolum ſed ad vitulum illum conflatilem fundendum, inaures aureas de auribus vxorum, filiorum ſuorum ac filiarum ſuſtulerunt, eratque vt ait ſcriptura populus ſpoliatus & nudus.

De contributionibus faciendis a populo ad bellum.

Iudicum 17.

Mater Michæ mille ducentos argēteos quos filius eius cuſtodierat, in idolum & eius cultũ deuouit. Nos ipſi etiam oculis noſtris vidimus tam in Gallia quam in his partibus, non modo ab ipſis hæreticis bona

ſua

ſua & facultates vniuerſas in bellum funeſtum contra Reges Chriſtianiſſimos & Dei Eccleſiam cõtribui, verum etiam ab ijs qui ſe Catholicos haberi voluerũt (horreſco referens) ad cauſam iniquam tutandam, ſacram Monaſteriorum & Eccleſiarum ſupellectilem tanquam a veris traditoribus & Catholicorum nomine indignis fuiſſe collatam. Qui profecto parum memores fuerunt illius Sapientis & acute dicti Marci Arethuſij, vel vnum obolum ad impietatem conferre, perinde eſſe ac ſi quis conferat omnia. *Marcus Arethuſius apud Theodor. lib. 3.c.6. vel 7.* Et nos in hoc bello ſacro quod non tãtum pro Rege Catholico aut pro Republica, ſed pro aris & focis, pro Eccleſia Dei, pro defenſione fidei Catholicæ geritur, ita pecunijs noſtris & theſauris veluti ille ſenex apud Plautum, inhiabimus vel incubabimus potius, vt citius clauam Herculi quis extorſerit, quam ea quæ Reipub. propugnationi & ſaluti neceſſaria ſunt a nobis emungat? Quaſi vero Repub. quæ inſtar nauis eſt, pereunte, aut Rege Catholico qui clauum in manu tenet ex hac naui a vectoribus eiecto non ſimul etiam perire nos omnes cum merci-

mercibus & pecunijs noſtris neceſſe ſit. Atque vtinam non contingat de nobis demum verum eſſe quod de Lacedęmone oraculo proditum eſt ἡ φιλοχρηματία σπάρταν ἕλοι ἄλλο δὲ οὐδὲν, nulla ſcilicet re alia quam auaritia & nimio ſtudio ac amore pecuniarũ Spartã perituram: Sed hęc miſſa faciamus. Cur autẽ alij de reb⁹ ſuis ſint tam ſolliciti, cum Auguſtinus de poſſeſſionibus Eccleſiaſticis quæ & naturæ iure & legibus Imperatorum alioquin immunes a tributis eſſe ſoleant ſic ſcribat, Noli dicere, quid mihi & Regi, quid tibi ergo & poſſeſſioni? per iura Regum poſſidẽtur poſſeſſiones, dixiſti quid mihi & Regi? noli ergo dicere poſſeſſiones tuas; quia ipſã iura renũciaſti humana, quibus poſſeſſiones poſſidentur. Nec multo ſecus Ambroſius, Si tributum ait, petit Imperator, non ei negamus, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum, ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicãdorum, tollat eos ſi libitum eſt; Imperatori non dono, ſed non nego. Idem alibi, Magnum quidẽ eſt & ſpeciale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur eſſe ſubie-

Aug. in tract 6. in Ioãnem, vbi loquitur cõtra Donatiſtas, Schiſmaticos volentes ſeruare decretũ imperatorum ſtatuentium vt qui parcere Eccleſiæ nollent nihil nomine Eccleſiæ audeãt poſſidere.

Amb. lib. 5. epiſtolarum poſt epiſtolã 32. eſt contra Auxentium.

Ambroſ. ad c. 5. Lucæ.

Amb. ad c. 5. Lucæ.

cti, ne quis putet conſtitutionem terreni Regis eſſe ſoluendam. Si enim cenſum filius Dei ſoluit quis tu tantus es qui putas non ſoluendum? Denique et ipſe Vrbanus Pontifex quamuis non piſcem totum vt Eccleſiam & Pontificalē apicem dandum aiat eſſe Cæſari, at quod eſt in ore piſcis, exteriora ſcilicet bona Eccleſiæ vt eſt antiquitus conſtitutum pro pace & quiete qua nos tueri & defendere debent Imperatoribus fatetur eſſe largiendum. Si ergo Princeps videat eſſe neceſſarium ad Reipublicę defenſionem quę aliter ſalua eſſe non poteſt, aut ad ciuium ſalutem quos regere & in officio continere nequeat, niſi nouis legibus & tributis coerceantur, non video quomodo in hoc Rex aut diuinę legi aut iuri naturæ aut ſuo ſacramento deroget. Quia licet populus nō ſit propter Principem ſed Princeps propter populum, tamen Regis aut Principis iuramentum non debet vergere in deteriorem exitum, aut in manifeſtum Reipub. dānum & perniciem. Sunt igitur omnia perpetienda potius quam vt ad arma confugiamus: quæ nec tam facile deponuntur ſi veli-

Vide et Nazianzenum in oratione ad Iulianum tributorum exceptorem. Vrbanus c. tributum 23. q.8.

mus

mus, & non ſolum ad iuſtam defenſionē quæ in raro aliquo caſu extremæ & deteſtandæ tyrannidis, vbi nullum grauius incommodum ſecuturum eſt, ſi modo inculpata, vt aiunt, tutela ſeruari poſſet, admittenda forſitan eſſet, ſed ad totius Reipubl. perturbationem & interitum tendunt, inobediētiam etiam quandam erga ſuperiores inducunt; qua nullum vnquam pernicioſius malum excogitari poteſt. De qua ita Chryſoſtomus; Malū, inquit, vbi nullus eſt Principatus, malū etiam eſt non minus & inobedientia eorum qui reguntur à Principe, idē quippe malum contingit. Populus enim ſi nō obſequitur Principi, ſimilis eſt populo Principem non habēti, imo etiam deterior. Illi quidem certe veniam habent quia indiſpoſite & inordinate verſantur, ſiquidem ordinatore priuati ſunt, hi autem veniam non merentur, quin etiam puniuntur.

Chryſ. homil. vltima in epiſtolam ad Hebr.

Sed longius prouectus ſum quam putaram; totuſque hic locus concludi poſſet niſi mearum partium eſſe iudicarem omnes Chriſtianos & Catholicos paucis verbis adhortari, vt his tantis malis

quibus

quibus vndique obruimur quaſi expergefacti diſcant Reges ſuos colere & reuereri, in eiſque aliquid numinis eſſe putare. Sicuti Artabanus ille apud Plutarchũ legem apud Perſas ait eſſe honeſtiſſimam obſeruare Regem, ſimulacrumque Dei omnia videntis adorare. Et D. Petrus: Deum, inquit, timete & Regẽ honorate; quaſi ideo vellet Regem honorari quia quam proxime ad Deum accedat, & diuinũ aliquid in ſe habeat. Sed & D. Paulus cum ſummo Iudæorum ſacerdoti iniuſte eum percutere iubẽti dixiſſet, percutiat te Deus paries dealbate, reprehẽſus ab aſtantibus quod ſummo ſacerdoti Dei malediceret, neſciebam, ait, fratres quia Princeps ſacerdotum eſſet, ſcriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices. Facta Principum aut Magiſtratuum nullus diſcutiat aut iudicet, artem quam quiſque profitetur teneat & factitet, alienis rebus & præſertim regni aut rei militaris negocijs nõ ſe immiſceat, ſed ita apud ſe ſtatuat, ſicut in vno corpore multa ſunt membra, nec tamen ſingula membra eundem vſum aut officium habent; ita quæ alieni ſunt officij nihil ad

Plutarchus in Themiſtocle.
1. *Petri* 2.
Act. 22.
Rom. 12.

eum

Nazianzenus oratione ad Iulianum tributorum exceptorem ſiue de ſuis ſermonibus. eum pertinere: Nazianzeni cõſilium de obediendo epiſcopis transferet ad Reges: Vos oues inquit, nolite paſcere paſtores veſtros, neque ſuper terminos eorum eleuamini, ſatis enim vobis eſt ſi recte paſcimini, nolite iudicare iudices, nec legem feratis legiſlatoribus: Deus enim nequaquam Deus eſt ſeditionis & confuſionis, ſed ordinis & pacis. Tantum igitur pro ſuperioribus oret, vt iuxta Apoſtolum tranquillam & quietam vitã ſub eis populus Chriſtianus degat: ab õni autẽ õnino murmuratione abſtineat, *Exodi 16.* quia non eſt murmur hoc contra Ma- *Num. 12.* giſtratum aut Regem ſed contra Deum, *Num. 16.* & eſt prȩterea tam grande ſcelus, vt Mariam ſororem Moyſis murmurantem lepra infecerit, alios ignis deuorauerit, multos terra abſorpſerit, omnes autem ab optatiſſima requie terrȩ promiſſionis exceptis, Ioſue & Caleph excluſerit. Quod vitium ita quoq; rempub. Iſraelitarum perturbauit vt plerique exploratorum detractionibus inducti & perſuaſi redire in Egyptum maluerint quã iuſſu domini in terrã lacte & melle ma- *Num. 14.* nantem proficiſci. Nos vero ſi aut nimiũ

curioſe in ea quæ ab ipſis geruntur inquirere, aut illorum facta calumniari velimus, verendum eſt ne quod Imperator quidam Romanus de quibuſdã obtrectatoribus ſuis Romanis ciuibus, qui domi ſedentes quæcumque in prouincia gerebat in peiorem partem interpretabãtur, dicere ſolebat, perinde eos facere ac ſi e terra gubernare vellent, idem in nos quoque dici poſſet: qui locus quoniam peregregius eſt totam fere oratiũculam eius huc adſcribam: In omnibus, inquit, circulis atque etiã (ſi dijs placet) in conuiuijs ſunt qui exercitus in Macedoniam ducant, vbi caſtra locanda ſint ſciant: quæ loca præſidijs occupanda: quando, aut quo ſaltu intranda Macedonia: vbi horrea ponenda: qua terra marique ſubuehantur commeatus: quando manus cum hoſte conſerendæ: quando quieſcendum ſit. Nec quid melius faciẽdum ſit modo ſtatuunt, ſed quicquid aliter quam ipſi cenſuere factum eſt, conſulem veluti dicta die accusãt. Hæc magna impedimenta res gerentibus ſunt. Neque enim omnes tam firmi & conſtantis animi contra aduerſum rumorẽ

Lucius AEmilius Paulus apud Liuium decadis 5. lib. 4.

Nõ eſſe diiudicandum de negotijs bellicis ciuius.

eſſe poſſent quam Fabius fuit,qui ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam ſecũda fama male rem gerere. Nõ ſum is qui exiſtimem admonẽdos duces non eſſe: imo eum qui de ſua vnius ſententia omnia gerat, ſuperbum magis quam ſapiẽtem iudico. Quid ergo eſt? Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis,& vſu doctis,monẽdi Imperatores ſunt, deinde ab ijs qui interſunt gerendis loco: qui hoſtem,qui temporum opportunitatem vident,qui in eodem velut nauigio ſunt participes periculi.Itaq; ſi quis eſt qui quod e Rep. ſit ſuadere ſe mihi in eo bello, quod geſturus ſum confidat, ne deneget operam Reipub. & in Macedoniam mecum veniat: Naue,equo,tabernaculo, viatico etiam a me iuuabitur. Si quem facere id piget,otium vrbanum militiæ laboribus præoptat, e terra ne gubernauerit, ſermonum ſatis ipſa præbet vrbs, loquacitatem contineat: nos caſtrenſibus conſilijs contentos futuros eſſe ſciat. De noſtris vero regibus & Magiſtratibus quiddam auguſtius ſentiendum eſt, ipſos videlicet omnium curam habere, omniaque

que quæ faciunt ad Reipub. vtilitatem fieri: Per ipſos enim, vt ait Chryſoſtomus, munimẽta ponũtur, hoſtes propelluntur, ſeditioſi in vrbibus cohibentur, quæuis vbique calamitates diſſoluuntur; in hoc ipſi incumbunt, hæc eſt illis vita, hoc ſtudium vt tu pace fruaris, ſin res forte aliter ſuccedat quam ab illis fuit cogitatum, non ipſis conſilium defuiſſe ſed euentum cogitemus: qui nuſquam minus quam in bello optatis eorum reſpondet. Meminerimus tempora ipſa bellorum in Dei poteſtate eſſe, vt alia citius alia tardius finiantur, in cuius iuſto iudicio eſt & miſericordia vel atterere, vt ait Auguſtinus, vel conſolari genus humanum, vt nemo ſi bellũ paulo diutius trahi videt ideo in Magiſtratum aut militem inuehi debeat. Sed etſi Reipub. neceſſitas ipſos compellat grauiora onera & tributa inſolita a populo exigere, iuſtiſſimis de cauſis id fieri arbitremur quas nulli melius quam illi ipſi qui hæc imponunt noſſe poterunt. Compatiamur potius illorũ laboribus & vigilijs pro nobis ſuſceptis, de quibus Seneca: Cum voles, inquit, omnium rerum obliuiſci cogi-

Chryſ. hom. 23. in epiſtol. ad Rom.

Aug. lib. 5. de ciuit. c. 22.

Seneca ad Polybium.

cogita Cæſarem, ſi quis modo eſt fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur: Cæſari quoque ipſi cui omnia licēt, propter hoc ipſum multa non licent: ō-nium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius induſtria, omnium vacationes illius occupatio. Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicauit, ſibi eripuit, & ſiderū modo quæ irrequieta curſus ſuos explicant, nūquam illi licet nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere. Atq; vt in amorem Regis ac Principis ſui vnuſquiſque magis ac magis inardeſcat, legite vel potius ad verbum ediſcite Thomę Mori viri doctiſſimi ac ſanctiſſimi diuinum planè Epigramma, quo ait.

Thomas Morus in Epigram.

Totum eſt vnus homo regnumidq́; cohæret amore:
Rex caput eſt, populus cætera mēbra facit.
Rex quot habet ciues (dolet ergo perdere quemquam,)
Tot numerat partes corporis ipſe ſui.
Exponit populus ſeſe pro rege, putatq́;
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

Ab omni denique nō ſolum praua de eo ſuſpicione vel aſperiori verbo, ſed etiam

tiam minima quaque inobedientia vos cohibete, quia & Ariſtoteles pręclare, nō tantum, ait, nocet peccare contra præcepta Medici, quantum conſueſcere non obedire Principi: & Sapiens, in cogitatione, inquit, tua Regi ne detrahas & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit ſententiam. A quo non multum abhorret quod veteri Prouerbio iactari ſolet, Quis neſcit longas Regibus eſſe manus?

Ariſtoteles.

Eccleſiaſtis 10.

Caput septimum.

Vtrum Rex vel Magiſtratus aliquis propter peccatum mortale perdat regnum aut dominium ſuum.

Affinis ſuperioribus quęſtio eſt qua olim quidam & Hæretici & Catholici non mediocriter docti fortiter aſſeuerabāt, fundamentū dominij ōnis ita in charitate eſſe poſitum vt ea ſublata & per peccatum mortale extincta dominiū quoq; ipſum cōcideret. Quod ſi concedimus, neſcio quid in hominum vita firmum aut ſtabile futurū ſit: Nam

ſi ex charitate rerum omnium dominia pendent, cum de nullo pro certo in hac vita, niſi a Deo ipſo reueletur, ſciri poſ-
Eccleſ.9. ſit illum eſſe in charitate, quia neſcit homo odio an amore dignus ſit ; Nec ipſe
1.Cor.4. ſanctiſſimus Paulus hoc fuit auſus de ſe-ipſo profiteri, cum dixit, nihil mihi conſcius ſum, ſed nō in hoc iuſtificatus ſum: Sequeretur profecto dominia rerum in ancipiti eſſe, neque a quoquam diiudicari poſſe cuinam parendum eſſet. Qua ratione vt nunc ſe habet vulgus hominū qui nimis facile Principes ſuos quamuis clementiſſimos, tyrannos æſtimāt, & obedientia in Principes ac Magiſtratus eneruaretur ſi de illis vel tenuiſſima eſſet ſuſpicio parum recte inſtitutæ vitæ, & filiorum in parentes amor lāgueſceret, ſeruorum vero erga dominos operæ & obſequia prorſus labefactarētur et perirēt. Fundamentū vero dominij Regalis non in ſola charitate eſſe poſitum, quamuis ex ijs quæ diximus, cōſtare poſſit, quibus oſtendimus Deum largitum fuiſſe imperia infidelibus & ſceleratiſſimis homini-
Aug. lib.5. de ciuit. Dei, c.21. bus, tamē hoc Auguſtinus multo fuſius & copioſius expreſſit his verbis : Non tribua-

tribuamus dandi regni vel imperij poteſtatē niſi Deo vero, qui dat fælicitatē in Regno cælorum non niſi ſolis pijs, regnum vero terrenum pijs & impijs, ſicut ei placet cui nihil iniuſte placet. Itē poſt: Quando voluit & quantum voluit Romanis regnum dedit, qui dedit Aſſyrijs vel etiam Perſis qui ſolos duos Deos coluerunt etc. qui & populo Hebræo vnū Deum colenti: Item, qui Imperium dedit Mario ipſe etiā imperium dedit Caio Cæſari, qui Auguſto, ipſe & Neroni, qui Veſpaſianis vel patri, vel filio ſuauiſſimis Imperatoribus, ipſe etiam Domitiaño crudeliſſimo; & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe & Apoſtatæ Iuliano, cuius egregiam indolem decepit amore dominādi ſacrilega & deteſtāda curioſitas, Hęc Auguſt.

Hic cito ſenſum Auguſt. non eodem modo quo verba apud ipſum ſunt.

Quaſi vero & Saul cui Dominus iratus Dauidem ſucceſſorem deſignauerat regio diademate quoad vixerit optimo iure non ſit potitus: aut Hieroboam cum decē tribus abduxiſſet eiſque iuſſu Domini præfuiſſet, non ſolū ipſe idola non coluerit, ſed & alios quos potuit præcipites in hoc peccatum non traxerit: de

quo ad ignominiam eius ſempiternam
4. Regũ 13. ſcriptura cum de alijs Regibus Idololatris loquens ait, quod ſecuti ſunt peccata Hieroboam filij Nabat qui peccare fecit Iſrael, Roboam vero qui tyrãnice dominabatur in plebem, nec poteſtatem ſuam in duas tribus perdidit quam ha-
Mathei 22. Rom. 13. Ad Titũ 3. bebat. Quid etiã aliud Chriſtus & duo illi Apoſtolorum Principes & anteſignani nobis præcipiunt, quam obedientiã erga Reges & Imperatores infideles, eiſque tributa ſoluere, dominis non tãtum bonis & modeſtis obedire ſed etiam diſ-
1. Petri. 2. colis? Aut quid hinc quæſo abſurdi ſequeretur, cum & Iacob vir optimus Laban infideli, Ioſeph Pharaoni, Daniel ac tres pueri Nabuchodonoſori, Mardochæus Aſſuero, milites Chriſtiani Iuliano Apoſtatæ, & ante eum Diocletiano ac alijs tyrannis ſeruierint? Ex quo eſt illud Auguſt. celebre axioma, virum iuſtũ
Aug. lib. 22. contra Fauſtum, c. 76. ſub Rege ſacrilego militãtem recte poſſe illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem ſeruantem, cui quod iubetur vel nõ eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel vtrum ſit certum non eſt, ita vt fortaſſis reum Regem faciat iniquitas imperan-

perandi, innocentem militem oſtendat ordo ſeruiendi. Hinc Ambroſius, Conuerſio, inquit, noſtra ad illos eſt & dominantur nobis in ſeculo peccatores, peccator enim in ſeculo dominatur, iuſtus in regno Dei. Cui D. Proſper ſubſcribit dicens, peccatorum poteſtatem cum mundanam potentiam ſunt conſecuti, & tamen ſunt iniqui, quia ſunt publicarum legum miniſtri, fidelibus eſſe honorandam propter vtilitatem diſpoſitæ diſciplinæ. Et author quæſtionum veteris ac noui teſtamenti, Gentilem, inquit, in poteſtate cõſtitutum honoramus propter Apoſtolum dicentem, omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote. Hinc Pharaoni futuræ famis ſomnium datum eſt, & Nabuchodonoſor ſolus filium Dei vidit in camino ignis, non merito ſuo qui in idolo honorari voluit, ſed merito ordinis Regalis. Et ne cui hac in re ſcrupulus vllus vel minimus relinquatur, Origenes nobis omnẽ dubitationẽ exemit his verbis, Dicet fortaſſis aliquis, quid, ergo & illa poteſtas quę ſeruos Dei perſequitur, fidem impugnat, religionẽ ſubuertit, a Deo eſt? Ad hoc breuiter reſpon-

Amb. lib. de incarnationis verbi, &c.

Proſper in pſal. 124.

Apud Aug. q. 35.

Orig. lib. 9. in c. 13. ad Rom. in illa verba, Non eſt poteſtas niſi a Deo.

pōdebimus: Nemo eſt qui neſciat quod & viſus nobis a Deo donatus eſt, & auditus & ſenſus. Cum ergo hæc a Deo in poteſtate noſtra ſint, tamen vti viſu vel ad bona vel ad mala poſſumus. Similiter & auditu & motu manuum & cogitatione ſenſuum, & in hoc iuſtum iudiciũ Dei eſt quod his quos ad vſus ille bonos dedit nos abutimur ad impia miniſteria; ita ergo & poteſtas omnis a Deo data eſt ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum. Sicut idem Apoſtolus in ſubſequentibus dicit, Erit autem iuſtum iudicium Dei erga eos qui acceptā poteſtatem ſecundum ſuas impietates & nō ſecundum diuinas temperāt leges. Hoc nobis longe ante & Sapiens pulchre ſignificauit cum de quibuſdam poteſtate ſua abutentibus dicat, quoniam data eſt vobis poteſtas a Deo, ſed cum eſſetis miniſtri regni illius non recte iudicaſtis, horrende & cito apparebit vobis &c. Sed cur inquies Deus peccatoribus & regna dat & eadem donata cōſeruat? Reſpōdeat pro me Irenæus, Cuius iuſſu homines naſcuntur, eius iuſſu & Reges cōſtituuntur, apti his qui illo tempore ab his

Sapient.6.

Irenæus libro 5. cōtra Hereſes.

his regantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem ſubiectorum dantur & conſeruationem iuſtitię, quidã autem ad timorem & pænam & increpationem, quidam autem ad illuſionem & contumeliam & ſuperbiã, quemadmodum & digni ſunt Dei iuſto iudicio in omnibus æqualiter ſuperueniente. Reſpõdeat & Auguſtinus, qui cum dixiſſet, nocentium poteſtas non eſt niſi a Deo, loquente Sapientia, per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram, dicit & Apoſtolus, Nõ eſt poteſtas niſi a Deo, adiunxit, digne autem fieri, in libro Iob ſcriptũ eſt, qui regnare, inquit, facit hypocritam hominem propter peruerſitatem populi: & de populo dicit Deus, dedi illis Regem in ira mea. Iniuſtũ enim non eſt vt improbis accipientibus nocendi poteſtatem & bonorum patiẽtia probetur & malorum iniquitas puniatur: Nam per poteſtatẽ Diabolo datam & Iob probatus eſt vt iuſtus appareret, & Petrus tentatus eſt vt non de ſe præſumeret, & Paulus colaphiſatus ne ſe extolleret, & Iudas damnatus vt ſe ſuſpenderet. Quę vſque adeo vera ſunt vt alibi de

Auguſt. c. 32 de natura boni.

Aug. lib. 5. de ciuit. c. 19. libi de Nerone loquens, cuius tanta fuit luxuries, vt nihil ab eo putaretur virile metuendũ, tanta crudelitas vt nihil molle habere crederetur ſi neſciretur, etiam talibus aiat dominandi poteſtatem non dari niſi ſummi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talib⁹ dominis dignas, aperte de hac re loquẽte Dei Sapientia, Per me Reges regnant & tyranni per me tenent terram: & ne tyranni non peſſimi Reges, ſed veteri nomine fortes vel potentes hic dicti exiſtimentur, apertiſſime alio loco de Deo dictum eſt, qui regnare facit hominem hypocritam propter peruerſitatem populi. Quærant igitur alij quas cauſas velint cur Deus impijs & iniquis aut idololatris tantum faſtigij culmen cõcedat, ſiue vt beneficijs eos ad ſe alliciat, vt de Cyro cui Deus tam multos theſauros & abſconditas opes dedit, cuius & nomen multo ãtequam naſceretur ab Eſaia prędictũ fuit, vt qui prius colebat idola, his rebus delinitus vnum ſentiret Deum, ſiũe propter quædam neſcio quæ opera laudabiliter facta, vt multi contendunt ex Aug. Romanis datã eſſe regni cuiuſ-

Prouerb. 8.

Iob. 24.

Hier. in c. Eſaie. 45.

dam

dam terreni fælicitatem, nobis ſatis eſt populorum peccata id plerumque mereri, quod per Prophetam ſuum Oſeam Dominus ſignificauit, Regnauerunt, inquiens, ſed non ex me, Principes exſtiterunt & non cognoui, argentum tuum & aurum ſibi fecerunt idola vt interirent. Non enim vt quidam hunc locum male intelligunt hic probatur Principes peccatores regna & dominia ſua non habere ex Deo, ſed huc ſpectat oratio prophetica, vt doceat Deum olim tam iratum fuiſſe populo Iſraelitico quia per Iudices vice Dei apud populum fungentes amplius regi noluerunt & propter deteſtandu midololatriæ crimen, vt propterea tales eis Reges conſtituerit quales iuſte a Deo irato propter peccata ſua meruerũt, vel vt alibi ſcriptura pronunciat, dedi eis Regẽ in furore meo. Quod Origenes præ cęteris omnibus quos in hunc locum vidi aut legi luculentiſſime expoſuit: Audacter, inquiens, fortaſſis aliquid dicimus ſed tamen quod ſcriptum eſt dicimus. Non ſemper Princeps populi & Eccleſię Iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt

Oſee.8.

Orig. hom. 4. in libr. Iudicum.

cunt, ſi mali ſunt actus noſtri & operamur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis Principes ſecundũ cor noſtrum, & hoc tibi de ſcripturis probabo. Audi namque quod Dominus dixit: Fecerunt ſibi Regem & nõ per me, & Principem & non per conſilium meum. Et hoc dictum videtur de Saul illo quem vtique ipſe Deus elegerat, et Regem fieri iuſſerat, ſed qui non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundum peccatoris populi meritum fuerat electus: negat enim cũ ſua voluntate & conſilio fuiſſe conſtitutum. Hęc Origenes, qui mihi totam huius ſcripturæ difficultatem paucis verbis ſuſtuliſſe videtur. Fit enim ſępenumero vt Deus propter iniuſtitiam populi tales
Eccleſ. 10. præficiat rectores quales alioqui ipſe non probat, & de gente in gentem nonnunquam transferat regna propter ipſorum Regum peccata. Neque tamen ex eo efficitur vt eo ipſo quo Rex quiſpiã mortaliter peccat, aut regnum ſuum perdat, vel in aliam gentem a Deo transferatur. Atque hęc hactenus pro præſentis quæſtionis explicatione ſufficiant.

Capvt octavvm.

An ſaltem charitas & gratia ſit aliquis titulus dominij, vt qui in ea ſunt omnium rerum hoc ipſo domini exiſtant.

Gravis adhuc controuerſia reſtat eaque niſi diiudicetur, in maximarum rerum ignoratione & errore verſari homines neceſſe erit. An videlicet qui ſunt in charitate & gratia eo ipſo vllum titulum aut ius dominij habeant in omnes creaturas. Quam difficultatem viri quidam pij ac docti ex quibuſdã authoritatibus ſcripturæ ſacræ & antiquorum patrum dictis atque etiam ex ipſo vulgari prouerbio ſiue communi loquẽdi formula male intellecta hauſerũt. Nam cum Chriſtus dixerit, Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius & hæc omnia adijcientur vobis, & Paulus, qui proprio filio ſuo nõ pepercit ſed pro nobis õnib⁹ tradidit illum, quomodo cũ illo nõ omnia nobis donauit? & alibi: Nihil habentes & omnia poſſidentes, item, Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Ex his locis confici poſſe putant

In priore quæſtione quærebatur an nullus eſſet titulus hominis ſine charitate, hic an ſit aliquis titulus ex charitate.

Math. 6.

Luce 12.
Rom. 8.

1. Cor. 6.
1. Cor. 3.

Gerſon lectione 3. de vita ſpirituali, & in ſec. in cena domini de dominio euangelico.

tant dominium quoddam euangelicum ſiue charitatis, quod ita definiunt, eſſe poteſtatem propinquam aſſumendi res alias in ſuam facultatem vel vſum ſecundum regulas iuris diuini proprie dicti. Quod non eo dicunt vt iura omnia & dominia humana ſubuertant, ſed quia hoc dominium eius generis eſſe opinantur vt cum omnibus alijs ſimul conſiſtere poſſit niſi forte in extrema neceſſitate. Si enim duo, inquiunt, iuſti ambo ſumme indigeant & vna tātum particula panis eis ſuppetat quę non ambobus ſed vni ſoli ſufficiat, cum vtriuſque par ratio ſit, nec illo vno pane ambo frui poſſint, ille erit dominus qui prius in eū manus inijciet ſeu occupabit. Sed ſi ex duobus vno iuſto altero iniquo vterque in extrema indigentia ſit, vt cui defuerit ille panis fame perire habeat, tū non occupanti iniuſto ſed iure charitatis iuſto cedere volunt. Cui ſententiæ quamuis & nouæ & periculoſæ patrocinari videtur Hieronymus: Antiquum inquiens dictum eſt, Auaro tam deeſt quod habet quā quod non habet: Credenti totus mundus diuitiarum eſt, infidelis etiam obolo indiget.

In epiſtola ad Paulinū præfixa biblijs.

Sic

Sic viuamus quaſi nihil habentes & omnia poſſidentes. Victus atque veſtitus diuitiæ Chriſtianorum ſunt. Et Auguſtin. Tolle inuidiam et tuum eſt quod habeo: Tollam ego inuidiam & meum eſt quod habes. Rurſum alio in loco. Quamuis res quæcumque terrena non poſſet poſſideri niſi aut iure diuino quo cuncta iuſtorum ſunt, vel iure humano quod in poteſtate Regum terræ eſt res veſtras falſo appellatis quas nec iuſte poſſidetis, & ſecundum leges terrenorum Regum amittere iuſſi eſtis. Sed & alias eandē ſententiā quâ Hieronymus vrgēs ait, Diuites qui in ſuis diuitijs hic ſtatuerāt permanere vt ex earū bonis operibus promererentur Deum, dimiſſuros potius ōnia propter Chriſtum quam propter hęc Chriſtum, vt accipiant in hoc ſæculo cētuplum, cuius numeri perfectione ſignificātur omnia, fideli quippe homini totus mundus diuitiarum eſt, & fieri hoc modo quaſi nihil habētes & omnia poſſidentes, vt in futuro ſæculo poſſideant vitam æternam, ne propter iſta dimiſſo Chriſto in mortem præcipitentur æternam. Et multo adhuc illuſtrius in alia epiſto-

Tract. 32. in Ioannem.

epiſt. 48. ad Vincentiū.

epiſtola 59. ad Hylariū.

epiſtola 54. ad Macedonium.

piſtola eandem ſententiam inculcans, Iam vero, inquit, ſi prudẽter intueamur quod ſcriptum eſt, Fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt, Infidelis autem nec obolus: nonne omnes qui ſibi vidẽtur gaudere licite conquiſitis eiſque vti neſciunt aliena poſſidere conuincimus? Hoc enim certe alienum non eſt quod iure poſſidetur: Hoc autem iure quod iuſte, & hoc iuſte quod bene: omne igitur quod male poſſidetur alienum eſt, male autẽ poſſidet qui male vtitur. Cernis ergo quam multi debent reddere aliena, ſi vel pauci quibus reddantur reperiuntur: qui tamen vbi vbi ſunt tãto magis iſta contemnunt quanto ea iuſtius poſſidere potuerunt. Et paulo poſt, Sed inter hæc toleratur iniquitas male habentium & quædam inter eos iura conſtituuntur quæ appellantur ciuilia: Non quod hinc fiat vt bene vtentes ſint, ſed vt male vtẽtes minus moleſti ſint donec fideles & pij (quorũ iure ſunt õnia) qui vel ex illis fiũt, vel inter illos tantiſper viuẽtes malis eorum non obſtringuntur ſed exercentur, vt perueniant ad illam ciuitatem vbi hęreditas æternitatis eſt, vbi
non

non habet niſi iuſtus locum, non niſi Sapiẽs Principatum, vbi poſſidebunt quicumque ibi erunt vere ſua. His adiungi poteſt Ioannes Climachus, non contẽnendus author in libro qui inſcribitur Climax ſeu ſcala paradiſi, Nudus, īquiẽs, *De auaritia* monachus totius mundi eſt dominus: *gradu 16.* Deo enim curam ſui credidit & per fidẽ omnes poſſidet ſeruos. Non dicit homini neceſſitatem ſuam ſed quę adferuntur quaſi de manu domini accipiet. Cumq; iuſti amici Dei ſint & amicorum omnia eſſe communia veteri prouerbio dici ſoleat, ex hoc tandem ſtatuere conati ſunt, viros pios & ſanctos iure charitatis & amicitiæ diuinæ omnia tanquam ſua poſſidere. Quæ tam abſurda collectio eſt vt præterquam quod ex his ſententijs effici non poſſit vllum eſſe proprij nominis dominium apud iuſtos in omnes creaturas, pernicioſa etiam ſit rebus publicis hæc doctrina, quia Anabaptiſtarum hæreſim quam ſupra refutauimus plurimũ confirmat. Nam ſi ita eſſet quicumque in charitate & gratia ſe eſſe confideret (cõfidet autem vnuſquiſque facillime) etſi decoctor vel rerum ſuarũ prodigus diſſi-

pator fuerit in aliena bona, regna, & dominia iure hoc charitatis inuadet: hinc nec Reges vlli nec domini certi futuri ſunt quia iure charitatis & regna omnia afferent eſſe iuſtorum. Quod ſi rerum poſſeſſio & vſus communis eſt, cur nõ & vxorum? Nam hoc Nicolaitæ olim & nunc Anabaptiſtę non verentur affirmare; proſtitutis autem vxoribus non erit amplius matrimonij vinculũ indiſſolubile. Ex hoc aditu ianuaque patefacta lex illa Oſtraciſmi quam nec Ariſtoteles olim probauit, apud Chriſtianos reuiuiſcet, qua ſtatutum eſt vt nemo de multis vnus excelleret. Ergo & Hercules aliquis ſi inter Argonautas vellet alijs ſiue vectoribus ſiue nautis præeſſe ejiceretur, & niſi paratam haberet ſcapham quæ eiectum exciperet in profundum maris ſubmergeretur. Aut ſi quis ex illis priſcis apud Ethnicos Heroibus Themiſtocli, Ariſtidi, Cimoni ſimilis cæteris inſignior in Repub. repertus fuerit, eandem pœnam ſubiret, niſi aut loco ſuo cederet & communem eſſe pateretur, aut ſi multas opes accumulaſſet ad æqualitatem quandam bonorum & iſtam rerum omnium

Ariſtoteles l. 3. Polit. c. 8.

nium

nium communionem redigi vellet. At illi inquies ſuum dominium charitatis non ita intelligunt vt cætera tollant. Sit ita ſane, quamuis ſi ſibi conſtare velint, forte ita intelligere debēt. At quomodocumque intelligāt, poſito aliquo tali dominio quis vetet plebem ſibi hoc quod diximus vendicare, & vt de Anabaptiſtis ſuperius confirmauimus iure quodā ſuo euangelico in Principes ac Magiſtratus rebellare? Ex hoc demum charitatis dominio ſequeretur tollenda eſſe ex decalogo duo illa legis naturæ præcepta, Nō furaberis & Non concupiſces rem alienam, aut ſaltem paulo arctius eſſe conſtringēda, quia qui eſt in charitate vt iſti aiunt, quodcumque alteri abſtulerit inuito non alienum ſed ſuum auferre cenſebitur. Ergo & Apoſtolus fruſtra præcepit vt qui furabatur iam nō furetur, & *Ephes. 4.* Moyſes tā multa pręcepta iudicialia cōtra alienorum bonorum fures & raptores temere & inconſiderate congeſſiſſet, Falſumque illud eſſet Auguſt. de rebus *Auguſt. ſer. 19. de verbis Apoſtol.* inuentis, Si quid inueniſti & non reddidiſti, rapuiſti; aut quod de rebus furto *Aug. epiſt. 54 ad Macedonium.* ſublatis dixit, Si res aliena propter quam

peccatum eſt reddi poſſit & non redditur, pænitentia non agitur ſed ſimulatur, Si autem veraciter agitur, nõ remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Nec fuiſſet etiam opus præcipere vt non moraretur opus mercenarij apud aliquem vſque in craſtinum, quia ſi alter eſſet in charitate poterat illud hoc iure ſibi retinere. Hæc eſt illa tam pręclara charitas, videlicet, qua non ante multos annos quidam tabernam aliquam meritoriam ingredientes, cum ſe cibo atque potu vſque ad nauſeam expleuiſſent, nihil pro ſymbolo dederunt, ſed gratias agentes Deo abierunt, quia iuſtorum omnia eſſe communia arbitrati ſunt. Hac eadẽ charitate & olim Vualdenſes & nunc Anabaptiſtæ, Puritani ſiue qui ſunt de Familia Amoris, et Nocturni quidã Tenebriones Caluiniſtæ qui ſua conuenticula noctu peragunt, extinctis candelis viri & fæminæ ſine diſcrimine miſcentur, hãc ſibi mutuo charitatem facientes vt mulier tum cõcipiat ex viro non ſuo, & virgo quæ non habet virum, fiat ex illo quẽ nunquam antea vidit, mater. Talem iſti homines animalia ventris & pecora cã-

pi, dum

pi,dum Epicureorum imo beſtiarum in morem viuunt,alijs & prędicant & exhibent charitatem,quia vbi ſpiritus,inquiunt,domini ibi libertas. Quaſi vero ille ſit ſpiritus Domini qui talia perpetret & non potius carnalis, animalis, diabolicus. Sed omittamus iſtas nocturnas turpitudines tam lõge a charitate & iuſtitia remotas quam eſt a terra cælum diſſitũ. Nos vero Chriſtiani & Catholici quãuis iure illo primæuo quod in parentibus noſtris ãte lapſum fuit,& fuiſſet etiam in nobis ſi in priſtina integritate perſtitiſſemus, omnium rerum præterquam vxorum erat communio, at neceſſitatibus hominum id exigentibus iure hoc quo nunc omnes gentes poſt peccatum vtũtur neceſſario & vtiliter diſtincta eſſe rerum dominia & vnicuique diſtributa ſcimus. Fruſtra vt vir iſte iuſtus ſiue ſuo iudicio ita ſit,ſiue omnino & re vera,putet ſibi licere aliena bona, niſi vbi extrema neceſſitas poſtulauerit,arrogare. Ex hoc enim iure factũ eſt vt qui primi orbẽ terrarum incoluerunt, in quem quiſque locum veluti in theatro incidiſſet illum ſibi ac ſuis retineret. Sic enim Baſilium intel-

Baſil. in ho m illud Deſtruan. hor rea m...

intelligo dicentem, diuites communia poſſidentes propria ſibi feciſſe occupando, et Ciceronē in Officijs, vbi ait iuſtitiæ munus eſſe vt cōmunibus vtatur pro communibus, priuatis autem vt ſuis. Sūt autem priuata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, vt qui quōdam in vacua venerunt, aut victoria, vt qui bello potiti ſunt, aut lege aut pactione, cōditione, ſorte. Ex quo fit vt ager Arpinas Arpinatium dicatur, Tuſculanus, Tuſculanorum, ſimiliſque eſt priuatarum poſſeſſionum deſcriptio, ex quo quia ſuum cuiuſque fit eorum quę natura fuerunt cōmunia, quod cuique obtigit id quiſque teneat, eo ſi quis ſibi plus appetat, violabit ius humanæ ſocietatis. In hoc ergo ius vt diſtinguerentur regna & dominia, vt prouincias diſpartitas, diuiſos limites, iuriſdictiones ſeparatas haberem9, naturali quadā ratione permotæ ad multa euitāda incōmoda tacite cōſenſerūt ōnes gentes, ne vel vnus ex bonis communibus plus ſibi vendicaret quam æquum eſſet: ex quo lites, diſsēſiones, cędes, bella & omnium rerum confuſio ſequerentur, aut ne negligēter, quod fere fit ab ōnibus

Cic. lib. 1. Officiorum.

nibus

nibus curaretur quod omnes concerne-ret. Ex hoc iure gentium & Iuriſconſul-tus Hermogenianus ait introducta eſſe bella, diſcretas gentes, regna condita, do-minia diſtincta, agris terminos poſitos, ædificia collocata. Et Auguſt. noſter, Iu-re, inquit, humano dicitur, hæc villa eſt mea, hic ſeruus eſt meus, hæc domus eſt mea: Iura autem humana iura Imperato-rum ſunt. Quare? quia ipſa iura humana per Imperatores & rectores ſęculi Deus diſtribuit humano generi. Quibus & Iſi-dorus conſentit, Ius inquiens gentium eſt ædium occupatio, ædificatio, muni-tio, bella, captiuitates, ſeruitutes. Cum i-gitur iure gẽtium primum occupatione, poſt etiam alijs titulis & iure etiam Im-peratorum vel ciuili dominia rerum ſint diſtincta, vbi eſt illud ius quod iſti aiunt euangelicum ex lege charitatis ſeu gra-tiæ quod contra omnium gentium mo-res nobis obtrudunt, cum iura etiam humana vt ait Auguſt. per Imperatores Deus diſtribuit humano generi? Quid quod ius hoc charitatis ignorauit A-bel, qui ex proprijs bonis obtulit ſacri-ficium domino Deo? ignorauit Abrahã

l. ex hoc iure. ff. de iure gentiũ.

Aug. tract. 6. in Ioannem.

Iſid. in lib. etymologiarũ c. 6.

Geneſ. 4.

Geneſ. 13.

qui

Gen. 25. qui diſtinctos greges habuit a Loth & in diſtincta ab eo loca ſeceſſit: ignorauerũt & alij Patriarchę (quos tamen ad nouũ teſtamẽtũ pertinuiſſe nemo negat:) ignorauit Iſaac qui hæreditatẽ patris vt ſibi ſoli peculiarẽ vendicauit, filij autem concubinarum Abrahæ alia munera acceperunt. Ignorauit Ioſue qui iuſſu Domini

Ioſue 13. filijs Iſrael terram Chanaam partito di-

Tob. 2. uiſit? Ignorauit denique Tobias pater qui metuit ne hędus caprarum quem ex opere manuum ſuarum vxor ei domum detuliſſet furtiuus eſſet, iuſſitque reddi

Tob. 4. dominis ſuis, & pecuniam quam Gabelo pridem mutuo dederat ſub chirographo per filium ſuum tanquã ſibi propriã non vt iure hoc charitatis alteri debitam repetijt. Quod ſi ex ſcripturis pugnare velimus, quis neſcit terrena bona malis ęque ac bonis a Deo Opt. Max. donari,

Mat. 5. qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, inter quos ſi aliquid in hac re interſit illud eſt diſcriminis quod ex ſingulari Dei prouidẽtia malis potius quã bonis interdũ diſpenſantur: quorum prõptuaria, vt

Pſalm. 143. ait pſalmiſta, plena, eructantia ex hoc in illud:

llud: Oues eorum fœtoſæ, abundãtes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ, & reliqua quæ in hanc partem produci poſſunt innumera. Sed me ipſe reprimam: & tempus eſt vt argumentis eorum qui ſecus ſentiunt reſpondeam. Ac illa quidem verba domini quibus nos monet vt ante omnia tãquam maximum bonum quæramus regnũ Dei & iuſtitiam eius & tũc omnia hęc adijciẽtur nobis, maxime pro nobis faciunt. Non enim ait, hæc omnia vos iure veſtro capietis, ſed ego mea prouidentia curabo vobis ſuppeditari, quãtum ſcilicet fuerit neceſſarium ad hanc vitam ducendam. Sic enim Auguſt. intelligit, non de omnibus rebus aut creaturis ſed de neceſſarijs tantum, ſolet enim Deus ſuis ſeruis multis modis in neceſſitatibus eorum prouidere. Aliquando, vt Patriarchis mittendo eos in Egyptum, cum pecunijs tamen in ſacculis: nõnunquam procurando vt inueniant gratiam in oculis hominum etiam inimicorum, quomodo & Turca mittit ſæpenumero pecunias ſanctis Monachis in ditione ſua vt pro ipſo orent: aliquando mittendo Angelum ſuum, ſicut cum Abacucd

Mat. 6.

lib. 2. c. 24. de ſermone domini in monte.

diſco-

diſcophorus miniſterio ãgelico eſt trãſlatus in Babylonem vt Danielẽ ſuo prãdio reficeret. Quod ſi & Angelorum & hominum miniſteria deficiant, tum leones aut coruos ſubſtituit qui eis pabulũ & annonam adferãt: quod de Helia Propheta, Paulo, & Antonio eremitis, atque alijs sãctis viris cultoribus deſerti legimus. Quibus ſi aliquando iſta defuerunt ad tẽpus, ad exercitationẽ eorũ defuerunt, vt eo ſtudioſius diſcerent quęrere non hęc peritura bona, ſed regnũ Dei & iuſtitiam eius. Nec Paulus nobis vllo

Rom. 8. modo eſt cõtrarius, quia ſiue vt quidam legunt qui proprio filio ſuo non pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo nõ omnia nobis cum illo donabit? Senſus eſt, qui filium ſuum dedit, vitam ęternam donabit, & cum illa dabit nobis ſuperiora nimirum ſeipſum ad fruendum, æqualia, vt Angelos ad conuiuẽdum, inferiora, vt reliquas creaturas ad dominandum, tunc enim in illa beatitudine iuſti, vt ait Auguſt. poſſidebunt vere ſua, & conſtituet eos ſuper omnia bona ſua, horum tamẽ hic omnium domini non ſunt, vel ſi donauit, in pręterito

to legatur, ſic etiam qui Chriſtum donauit quomodo non æterno ſuo decreto omnia nobis quę ſunt ad ſalutem neceſſaria donauit? Illud quoque, Omnia veſtra ſunt ſiue Paulus ſiue Apollo ſiue Cephas ſiue mundus ſiue vita ſiue mors ſiue præſentia ſiue futura, omnia veſtra ſunt, huc ſpectat vt intelligatur quicquid in his hominibus ſapientiæ aut donorũ Dei fuit propter alios accepiſſe, mundus etiam noſter eſt, vt per eius propoſitam ſpeciem ad Deum authorem manuducamur, vita noſtra eſt vt bene viuamus, mors vt per eam ad meliorem vitã trãſeamus, præſentia quibus ad vitæ huius neceſſitates vtamur, futura, quia hæc pręparauit Deus diligentibus ſe. At nemo vnquã dixerit propterea aut Corinthios fuiſſe dominos horũ Apoſtolorũ, aut in hunc mundum, vitam atque mortẽ, præſentia ac futura ius aliquod ſiue poteſtatem de ijs pro arbitrio faciendi habuiſſe, quamuis diligentibus Deum omnia vt ait Apoſtolus cooperentur in bonum. Cætera verba Apoſtoli nullo negotio diſſoluuntur, Nam quomodo perfecti illi viri primitiuæ Eccleſiæ qui omnia vendide-

1. Cor. 3.

2. Cor. 6.

diderunt & poſuerunt pretia rerum ſuarum ad pedes Apoſtolorum,non erãt quaſi nihil habentes? quomodo rurſum non omnia poſſidebant, cum vt in actis Apoſtolorum de illis legitur, nihil illis deeſſet, ſed erãt eis omnia cõmunia, & dabatur ſingulis prout cuique opus erat? Quomodo ipſe Paulus nõ erat nihil habẽs qui õnia propter Chriſtum dimiſit, & omnia poſſidens cum ipſe de ſe teſtetur tantam fuiſſe quorundam erga ſe charitatem vt pro illo oculos ſuos eruiſſent,quanto minus pecunijs ſuis pepercissent? Cui etiam Sanctorum velut nihil habenti non ſuppetant omnia cui & ea quę habet ſunt quaſi non haberet, & qui victu ac veſtitu contentus, nihil amplius deſiderat ſed ſunt ei inſtar omnium? Ad Hieronymi authoritatem veniamus qui ſeipſum ſatis explicat. Nam ſicut auarus & infidelis diuinæ prouidentię non ſatis credens cum multa cõgerat,omnia tamẽ ei deſũt, quia nec rebus acquiſitis vtitur, & ijs quæ non poſſidet habendis auidiſſime inhiat, ſuæ magis curæ quam diuinæ benignitati confiſus, ex quo non immerito dici poſſet illum vel obolo indigere:

Hier. in epiſtola ad Paulinũ præfixa Biblijs.

Sic

Sic credenti totus mundus diuitiarum eſt, qui tenuitate rerum pauciſſimarum contentus in illa perinde acquieſcit ac ſi totius huius mundi diuitias poſſideret nihil dubitans de diuina prouidētia, quin ei cętera ad hanc vitam neceſſaria ſuppeditatura ſit, vbi de dominio ne vnū quidem verbum facit, quod ſi proprie loqui velimus, eſt ius quoddam ſeu poteſtas de rebus ſibi ſubiectis diſponendi ad vtilitatem & arbitrium ſuum, quale dominiū in omnes creaturas ne Chriſto quidem domino ſecundum naturam humanam hic in terris datum fuit, niſi quatenus in ſpiritualem finem creaturæ huius mundi erant neceſſariæ. Atque hoc video placuiſſe præſtantiſſimis Theologis. Sed neque ad primum locum Auguſt. difficile eſt reſpondere, quia ſi quis inuidiam tollat & eccleſiæ vnitatem amet pro ipſo habebit quiſquis in eccleſia donum aliquod ſpirituale habebit, hęc enim eſt cōmunio ſanctorum vt nemo putet hęc dona ſibi pro ſeipſo ſolum data, ſed in vtilitatem aliorū mēbrorum eccleſię: Quia ſi amas, inquit, vnitatem eccleſię, etiam tibi habet quiſquis in ea aliquid habet, ſicut

Dominicus a Soto 4. diſt. 25. q. 2. art. 2.

Aug. tract. 32. in Ioannem.

ſicut oculus ſolus videt ſed non ſibi ſoli, manus nō ſibi ſoli operatur ſed toti corpori, nec pes ſibi tantum ambulat, neque lingua cęteris membris tacētibus quamuis ſola loquatur at nō ſibi ſoli loquitur: ita tolle inuidiam vt mecum in eadem eccleſia permaneas, nec per fraternum odium more ſchiſmaticorū ab eadem te diſiungas, & tuum eſt quod vel ego vel aliud quodcumque membrum eccleſiæ habemus, quia non nobis ſolis ſed omnibus habemus, tollam & ego inuidiam vt me ab vnitate eiuſdem eccleſiæ in qua tu mecū mēbrum es per hæreſim aut ſchiſma non diuidam, & meum eſt quicquid ſpiritualium donorum habes, quia mutua erit inter nos & liberalis communicatio omnium donorum gratuitorū, de quibus in illo loco loquitur, & non de omnibus rebus, vel de dominio hoc euangelico. Nec in ſecundo loco ab eodē petito aliquid momenti aut ponderis eſt ad hoc dominium confirmandum. Negat enim & recte negat rē quamcumque terrenam poſſideri poſſe niſi aut iure diuino quo cuncta iuſtorum ſunt, aut iure humano. Eſt enim quidam certe modus quo

Aug. epiſt. 48. ad Vincentium.

quo omnia poſſunt dici iure diuino eſſe iuſtorum, quia illi ſoli recte & ſecundum legem Dei rebus vtuntur quas poſſidẽt, alijs etiam ſimiliter vſuri ſi poſſiderent vt ius diuinum poſtularet, poſtulat autem ius diuinùm vt diuitiæ ſi affluant nemo cor apponat, neue vt diuitibus præcipit Paulus, ſuperbe ſapiant, ſed qui habent ſint quaſi non habentes. Et quia vnaquæque res eſt propter vſum eumque rectum & legitimum creata a Deo, illorum magis eſſe dicuntur iuxta primam inſtitutionem & naturam rerum qui illis recte vti poſſunt quam aliorum abutentium, quamuis ex diuina prouidentia conceſſa ſunt rerum dominia etiã malis. Sic enim Thomam Vvaldẽſem egregium ſcriptorem ſuperiorum temporum intelligo, dũ aſſerit dominia iſta temporalia his hominibus magis Dei prouidentia quam voluntate beneplaciti fuiſſe conceſſa. Hæc autem eſt lex prouidentiæ Dei, vt etiam mali propter maius bonum & commodum electorum poſſideãt tranſeũtia bona, & conſtituantur (vt inquit Auguſt.) inter eos iura quædam ciuilia, non quod hinc fit vt bene vtentes ſint, ſed vt male

vtentes minus moleſti ſint. Atq; ita Donatiſtæ contra quos hic diſputat Auguſt. neciure diuino recte poſſidebāt res ſuas quia iniuſti erant, & illis intemperanter ad libidines ſuas explendas abutebantur, nec iure humano, quia Imperatores legum humanarum cōditores illos facultatibus ſuis & bonis priuauerant. Quod tertio loco ex Auguſt. obijciebatur, facile ex ſuperioribus ſolui poteſt, fatemur enim diuites omnia propter Chriſtum dimittentes accipere in hoc ſæculo centuplum, cuius numeri perfectione ſignificantur omnia, fideli quippe homini totus mundus diuitiarum eſt, fierique hoc modo quaſi nihil habentes quia omnia dimittunt, & omnia poſſidētes, quia hęc paucula vitę neceſſaria illis æque ſufficiunt ac ſi totum mundum poſſiderent, cum & de diuina præterea prouidentia ſecuri fiant, nihil eis in poſterum eorum quæ vel ad hanc vitam vel ęternam ſalutem requiruntur deeſſe poſſe. At vltimus Auguſt. locus pluſculum nobis negotij faceſſeret, qui & paulo intricatior eſt, niſi aliquo modo ex ijs quę diximus reſpōderi poſſet. Nam vulgata illa ſententia quam

Auguſtinus epiſtola 89. ad Hylarii.

Aug. epiſt. 54 ad Macedonium.

quam repetit, fideli totum mundum diuitiarum eſſe, infideli nec obolum, iam antea explicata ſatis eſt. Quod vero addit omnes qui ſibi videntur gaudere licite conquiſitis, eiſque vti neſciunt, aliena poſſidere, quia hoc alienum non eſt quod iure poſſidetur, hoc autem iure quod iuſte, & hoc iuſte quod bene, omne igitur quod male poſſidetur alienum eſt, male autē poſſidet qui male vtitur; ex qua connexione probat omnes qui non bene vtuntur rebus ſuis debere illas reddere paucis iuſtis qui eis vti bene ſciunt: Non tollit, inquam, eis verum dominium rerum quibus male vtuntur, neque ſanctis ius vllum verum concedit in res alienas, ſed tantū innuit quod cū cōtra ius diuinum & primam rerum inſtitutionē, qua ſic a Deo omnia creata ſunt, vt eis homines recte vterentur, conceſſis ſibi diuitijs abutantur in eiſque ſuperbe ſapiant, ſi ab hoc peccato & rerū abuſu immunes eſſe velint, aut ipſis recte vti oportere, aut eſſe reddēda ea his qui nō ſolū iuſte poſſidere ſed recte vti conceſſis queant. At ſecundum Dei iuſtiſſimam prouidentiam, quę etiam malis ad electorum ſuorum cōmo-

dum concedit verum dominium ſiue ius vtendi rebus ſubiectis ad vtilitatem & arbitrium ſuum, & illi ipſi veri domini sũt eorum quæ iuſto titulo poſſident, & ſancti in alienis bonis prȩterquam in extrema neceſſitate, nullum ius, dominium verum aut poteſtatem illa occupãdi habent. Quæ cum ita ſint nec Ioannes Climacus diuerſum aliquid ab iſtis ſentire poterit, vere enim nudus Monachus totius mundi dominus eſt, quod in alio tractatu quem de proprietate Monachorum meditor, luculẽtius probabo, quia credit ipſe fore ex Dei prouidẽtia vt qui omnia propter Chriſtum reliquerit omnes habeat ſibi paratiſſimos, & vt cũ eo loquar quaſi ſeruos, quorũ ope & ſubuentione in neceſſitate indiguerit, ex quo fit vt non moleſte emendicet ab alijs neceſſaria, ſed ſperans ea quibus ſibi ad victum opus erit, ab eis eſſe ſubminiſtranda, quæ adferuntur quaſi de manu domini ſuſcipiat. Nihil vt minus cogitauerit Climacus quam de vero rerum omnium dominio quamuis ſanctiſſimis Monachis tribuendo. Quibus ita vt potui explicatis, non eſt quod in communi prouerbio hæreamus

Ioannes Climacus de Auaritia, gradu 16.

amus: Nam amicorum omnia eſſe communia, ciuiliter, & vt leges amicitię diuinę & humanæ poſtulant intelligendum eſt. Eſt autem hæc lex amicitiæ quã Deus omnium amicitiarum æquiſſimus moderator ſtatuit, vt nullius rem inuito Domino contrectare aut concupiſcere liceat, ſed fiat rerum & officiorum inter nos voluntaria quædam communicatio; niſi ergo & Dei ſummi amici & Iudicis pręcepta violare, & charitatẽ erga proximũ imminuere & labefactare velimus, non erit fas tantum nobis iure amicitiæ diuinę aut humanæ arrogare, quia & rẽ alienam inuito altero, & cum ſuo incõmodo eripere aut extorquere non charitas ſed cupiditas proprio nomine appellanda eſſet. Ex quibus contra iſtos ſequitur & in extrema neceſſitate peccatorem poſſe ſibi retinere panem ſuum, & iuſto nihil ad illum panem alteri eripiendum iuris eſſe poſſe. Atque ita puto a me ſatis explicatam eſſe rationem huius difficilis & implicatæ quæſtionis.

FINIS.

EIVSDEM DE AVTHORITATE EPISCOPORVM TRACTATVS ALTER, AD POPVLVM Cameracenſem, vt reſipiſcat & dominum atque Archiepiſcopum ſuum agnoſcat.

PRÆFATIO AD POPVLVM CAMERACENSEM IN TRACTATVM DE authoritate Epiſcopali.

SÆPE *ego audiui Cameracenſes, vt prædualida corpora ab externis cauſis tuta videtur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur, ita nullam vnquã magnam ciuitatem quieſcere diu poſſe, ſi foris hoſtem non habeat, domi inuenire. Atque hæc fuit ni fallor prima fundi veſtri calamitas. Quo enim alio malo veſtro, aut qua potius ira, & vindicta diuina fieri dicam, vt hæc Ciuitas quæ fuit omnium liberrima, quæ ſub ſuauiſsimis Epiſcopis,*

Ducibus & Gubernatoribus in tranquilliſsima pace ſemper vixit, quæ dum cætera Belgij ciuitates impotēti quadam tyrannide nouorum hominum (qui Rempub. cum ſuis armis reformare, & ad neſcio quam Platonicā Ideam & effigiem iuſti imperij reuocare vellent, penitus perdiderunt) opprimerentur, ſola immunis ab omni turba & alienæ calamitatis ſpectatrix fuit, quæ vel omnium iudicio quaſi nutu quodā diuino his qui ex reliquo Belgio a factione malorum pulſi erant in portum & perfugium relicta videbatur, nunc demum mutatis rerum vicibus in miſerrimam ſit cōiecta ſeruitutem, vt duriſsimis dominis ſeruire cogatur, & quæ alios in ſinum ac gremium ſuum exules ac proſcriptos recipere conſueuit, eadem nūc viduitatem atque orbitatem ſuam extremam aut miſerabiliter domi lugeat, aut in multis honeſtiſsimis ciuibus ſuis procul a laribus, ac focis domeſticis relegatis, foris in exilio vitam agat? Scio hūmana ingenia ad ſuam cuique leuandam culpam eſſe nimio plus facunda, nec deeſſe qui excuſationes, vt cū ſcriptura loquar, ſibi quærunt in peccatis. Sed cum omnia circumſpicio, totam huius mali labem non aliunde quam ex ſupina quadam negligentia veſtra natam eſſe video, qua in ſeditioſis hominibus comprimendis, tan-

tum

tum abeſt vt alienis periculis cautiores aut circunſpectiores euaſeritis, vt ad eoſdem ſcopulos nauis veſtra a vobis ſcienter pene & prudẽter alliſa ſit, ad quos aliorum naues non ita pridem fractas & euerſas vidiſtis. Ex qua ſiue imprudentia, ſiue certa animi improbitate & malitia factum eſt, vt ſicuti olim cuidam percunctanti quiſnam eſſet dominus illuſtris alicuius Ciuitatis, quæ paulo ante in hoſtium fidei poteſtatem veniſſet, reſponſum ſit facetè iuxta ac verè, illam vno die perdidiſſe tres dominos, dominum Ducem Sabaudiæ, dominum Epiſcopum, et dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ita & vos non tres vt illi, ſed vno quaſi ictu quatuor egregios dominos perdidiſtis: Imperatorem Auguſtiſſimum, ad quem in cauſis ac litibus prouocatio eſſe ſoleat, Inuictiſſimum Regem Hiſpaniæ Protectorem veſtrum, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ac Ducem Cameracenſum, & (quod nefas dictu eſt, dicendum eſt tamen) D. noſtrum Ieſum Chriſtum. Sed cum vulnera niſi tacta tractataque ſanari non poſſint, dabitis mihi veniã (vt ſpero) ſi huius grauiſſimi vulneris ac peccati veſtri teterrimum odorem ſuũ omnium naribus adflantis ſaniem & purulẽtiam ſummis veluti digitis expreſſero, vt magnitudine ſceleris huius ac grauitate patefacta,

tanta

tanto celerius ſalutarem medicinam a ſummo animarum noſtrarum ſaluatore & medico requiratis. Et quia in alia oratione dignitatem Regis vnius ac Magiſtratus inter homines quãta potui argumentorum vi confirmaui, non hic vrgebo iniuriã quam Imperatori ſemper Auguſto feciſtis, nec indigniſſimum facinus in Regem potentiſſimum Protectorem veſtrum admiſſum allegabo, ſed neque manifeſtam rebellionem in ducem veſtrum ac dominum, quem omni dominio ſuo priuaſtis, exaggeraturus ſum, ſint hæc ſicut reuera sũt ſuperiore oratione mea reprehenſa ſatis. Sed illud, illud inquam nefarium ac horrendum ſacrilegium hoc loco impugnabo, quo oues Paſtorem ac Patrem Spiritualem deſerere, membra a capite vos diuellere, ſubditi ab Archiepiſcopo & Præſule non modo deficere, ſed quod ego õni ſcelere maius eſſe deputo, eius in ſalute veſtra procurãda vicarium & ſuffraganeum Epiſcopum, virum doctum et ſanctitatis laude clarũ in vincula armata manu prius abducere; poſt etiã hũc ipsũ Patrẽ Patriæ veſtræ, et pro Chriſto legatione apud vos fungẽtẽ, tãquã hoſtẽ & perduellẽ habere, eius acta et decreta reuellere, eius non ſolum bonis & ditionibus ſed vitæ & ſanguini inhiare non eſtis veriti. Quid eſt hoc aliud, quam non dico D.

Noſtrum

Noſtrum Ieſum Chriſtum perdere, ſed plane prodere, illumq́; in ſuis Epiſcopis proſcribere, oſtentui habere & rurſum crucifigere? Quod tam grande piaculum eſt, vt illi qui hæc lecturi ſunt poſteri, vix ſint credituri, fuiſſe aliquam ciuitatem Sacerdotalem, cuius ſummus Moderator ac dominus Epiſcopus eſſet, quæ ab eo nũquã iniurijs laceſſita, ſed maximis beneficijs ornata fuiſſet, tam in ſuum Paſtorẽ Spiritualẽ impie ingratã & crudelẽ, vt vltro in eum arma ſumpſerit. Cum vero intellexerint, eundẽ populum Chriſtianum & catholicum dici velle, Sacramentis Chriſti & Eccleſiæ communicare, ſupplices ad Deum preces pro ſalute ſua quotidie effundere, qui ſimul manus ſuas funeſtas Sacerdotum ſãguine contaminare, Epiſcopum ſuum ac dominum clementiſſimum hoſtiliter perſequi non reformidet, ſomnium ſe audiuiſſe, non rem geſtam credant. Ac multi quidem iampridem huius ſceleris pœnas, ſiue inopinata morte ſua, ſiue vita in maximis ærumnis acta, domino deo dederunt, vt autem et illi qui adhuc ſuperſtites ſunt peccati ſui magnitudine perſpecta reſipiſcant, cunctiſque poſteris exemplũ aliquod relinquatur Epiſcopos & Spirituales Patres ſuos colendi, non exiſtimaui abs re fore pro illo amore quem in ciuitatẽ Cameracenſem,

in quam

in quam aliquot ab hinc annis adſcriptus ſum, habeo, primum Rempublic. illam aut ordinem & principatum ſacrum quem noſtri Eccleſiaſticam hierarchiam vocant a Chriſto domino conſtitutam, extremis veluti lineamentis adumbrare, poſtea quem in ea locum Epiſcopi iure diuino acceperint docere, ad extremum quãta eis merito ab omnibus veneratio, quamuis vt D. Petrus ait, diſcolis, debeatur, & qua pœna digni ſunt qui in Epiſcopos ſuos rebellant oſtẽdere. Quæ vbi explicauero, nemini arbitror dubium deinceps futurum eſſe, quam atrox & indignum facinus ab iſtis commiſſum ſit, vt non ſine cauſa tantum ſcelus, reliquo vitæ ſuæ tempore toto lachrymarum fonte expiandum ſit.

1. Petri 2.

Capvt

Capvt primvm,

Quo probatur eſſe ordinem in omnibus rebus: ex Nazianzeno.

DE ordine vero atque eccleſiaſtica hierarchia dicturis prius videndum erit quam ſit neceſſarius aliquis ordo in omnibus rebus, vtque nihil Deus Opt. Max. ſine ordine & partium ſuarum & officiorum certa lege reliquerit. Et quia ordo definitore Auguſtino, eſt rerum parium ac diſparium ſua cuique loca tribuens diſpoſitio, pulchre profecto Naziãzenus ordinem talẽ ait eſſe in omnibus rebus, qui omnia conſtituit, & colligauit, neque enim a verbo Dei omnia ſimul, ſed ordine certo producta ſunt. Ordo cæleſtia & terreſtria continet, ordo in ijs quæ ratione & animo intelliguntur ſeruatur, ordo in ijs quę

Auguſtinus lib 19. de Ciuit. c. 13.

Nazianzenus in oratione de moderatione in diſputatione ſeruanda.

ſenſi-

ſenſibus percipiuntur, ordo in Angelis, ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione & ſplendore, alia eſt enim gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum, cum ſtella a ſtella differat claritate, ordo in anni temporibus apte & diſtincte tum progredientibus, tum recedentibus, ac per moderatam intermediorum temporum qualitatem extremorum aſperitatē mitigantibus, ordo in diei & noctis menſuris, & interuallis, ordo in elementis, ex quibus corpora conſtant, ordo cælum in orbem duxit, aërem explicauit, terram ſuppoſuit aut etiam ſuperpoſuit, humidam naturam fudit, atq; in vnum locum contraxit, ventos dimiſit, ſed non ad hominum perniciem immiſit, aquas in nubibus aſtrinxit ſed nō retinuit, verum in totius terræ faciem decenter & æqualiter ſparſit &c. Ordine vero dominante, & florente mūdus eſt vniuersū hoc quod cernitur, ac pulchritudo certa atque trāquilla. Contra autem perturbatio atque cōfuſio in aëre tonitrua, in terra tremores, in mari naufragia, in vrbibus domibuſque bella & diſſidia, in corporibus morbos, in animis peccata creauit. Hæc enim

enim omnia non pacis nec ordinis, ſed confuſionis & perturbationis ſunt nomina. Et poſt. Ordo cunctis animantibus ortum, ſedeſque vnicuique commodas & congruentes indixit, & quaſi lata lege præſcripſit. Ac proinde nec Delphinum quiſquam arua ſulcantem vidit, nec bouē per aquæ lubricum iter carpentem, quēadmodum nec ſolem nocte decreſcētem, vel ad plenam magnitudinem augeſcentem, nec rurſus lunam mortalibus interdiu prælucentem. Montes excelſi ceruis; petra refugium herinacijs. Fecit lunam in tempore, ſol cognouit occaſum ſuum: vt nox terram caligine obduxit, ſtatim homo ſomno contrahitur, quietique ſe tradit, feræ autem libere graſſantur ac pabulum quęrunt a creatore porrectum: vt ſol illuxit extemplo beſtiæ congregātur, atque tum homo ad operas properat, ita ordine inter nos, iuxta naturæ legem cedimus, & quod maximum eſt propoſitoque conuenientiſſimum, ordo ex maſſa partim rationali, partim a ratione auerſa hominem, rationale animal conſtruxit, atque arcano & ineffabili modo terram cum mente, mentem cum ſpiritu

vinxit.

vinxit &c. Ordo nos a mutis animãtibus diſtinxit, ciuitates condidit, leges inſtituit, virtutem honoribus, vitium pœna affecit, artes excogitauit, matrimonia cõciliauit, ac peracrem erga ſuſceptos liberos amorem, feram & agreſtem vitam ad humanitatem excoluit, & quod terreno hoc ac carnali amore maius eſt, diuinum amorem animis noſtris infixit, & ne neceſſe ſit ſingula commemorare, ordo omnium rerum Pater & ſalus eſt, ſoluſque omnium rerum ſi loqui poſſit, verbi omnium rerum conditoris & architecti ſermone vti poſſit dicentis, cum mundus crearetur a Deo, ego illi aſſiſtebam omnia componens atque conglutinans: hęc Nazianzenus.

Capvt secvndvm.

Ordinem fuiſſe in ſynagoga veteri quo noſter ordo Eccleſiaſticus figurabatur, ex eodem Nazianzeno probatur & ex Origene.

Nec in omnibus modo creaturis ex ijs quæ diximus ordinẽ fuiſſe a Deo cõſtitutũ licet videre, ſed multo magis in ipſa Synagoga veteris teſtamẽti, quę eccleſię noſtræ faciẽ, quaſi vmbra corpus & figura

figura veritatem ad viuum repræsētabat. Ibi enim (vt idem Nazianzenus doctiſſime proſequitur) Moyſes nubē ingreditur, Deum alloquitur, vocem audit, legē accipit & promulgat. Aaron ſimul aſcendit, ſed extra nubem in propinquo conſiſtit, Ithamar aut Eleazar, & a Moyſe tertius aliquis ordiniſque Senatorij & ex illorum numero longius adhuc gradum figit, ſedeque tertia acquieſcit, plebeius aliquis & infimi ordinis a mōte arcetur: Nam & beſtia ſi montem tetigerit lapidibus opprimenda eſt. Ex quibus Moyſes, primus ſacerdotum manus initiabat, & conſecrabat, Aaron inter initiandos primus erat, vnus ea quæ ad Deum ſpectabant curabat, alius populo inſtar vocis erat, vni ſoli in ſancta ſanctorum ſemel in anno aditus patebat, Leuitę ſoli geſtabāt arcam, alij præſtantiores eius partes, alij inferiores, minoriſque pretij, prout cuiuſque dignitas ferebat: alij eam cuſtodiebāt, quidam vnum latus, alij aliud, nec quicquam indiſtinctum ac perturbatum erat nec minimarum quidem rerū. Hanc quoque deſcriptionem variorum ordinum in Eccleſia in tertio Regnorum li-

Nazianzenus in oratione de moderatione in diſputatione ſeruanda.

1. Paralipomenon 15.

Origenes hom. 2. in Cant. Canticorum.

bro adumbratam fuiſſe Origenes ait, dũ Regina Saba Æthiopiſſa, cui nihilominus dominus teſtimonium dat in Euangelijs, quod in die Iudicij veniet cum viris generationis incredulæ vt condemnet ęos, quia venit a finib⁹ terrę audire ſapiẽtiam Salomonis, & addit pluſquã Salomon hic, docens per hoc plus eſſe veritatem quam veritatis figuras, venit imo ſecundum figuram eius eccleſia venit ex gentibus audire ſapientiam Salomonis veri, & veri pacifici domini noſtri Ieſu Chriſti, petens ab eo multas difficultates ænigmatum & obſcurarum quæſtionũ, quas Philoſophi huius mundi ſoluere haud potuerũt, & venit in Hieruſalem ad viſionem pacis cum multitudine multa, non cum vna tãtum gente vt prius Synagoga ſolos habuit Hebręos, ſed cum totius mundi gẽtibus, deferens etiam munera digna Chriſto, odoramẽtorum ſcilicet ſuauitates, ſeu opera bona quæ ad Deum per odorem ſuauitatis aſcendunt, ſed & auro diſciplinarum ſecularium venit repleta & detulit lapidem precioſum ſeu ornamenta morum, & cum apparatu intrans ad pacificum Regem Chriſtũ, ipſi a-

ipſi aperit cor ſuum in cōfeſſione & pœnitentia præcedentium delictorum, loquens ei omnia quæ erant in corde ſuo. Quare & Chriſtus qui eſt pax noſtra enunciauit ei omnia verba eius, & non eſt verbū quod emiſerit Rex & nō enunciauerit ei, quia omnia quæcumque audiuit a Patre nota fecit eccleſiæ. Vidit autem ipſam ſapientiam Salomonis & nō habuit vltra ſpiritum. Quin ſi intuearis eccleſię ſtatum & diſpenſationes eius, ordinationeſque eius conſideres, tunc aduertes quomodo Regina mirata ſit omnem prudentiam Salomonis, vidit & domum quam ædificauit: ſine dubio Incarnationis eius myſteria, ipſa eſt enim dom⁹ quā ædificauit ſibi ſapientia, vidit & cibos Salomonis, illos puto de quibus dicebat, Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius, vidit & ſedem puerorum eius, eccleſiaſticum puto ordinē dicit, qui in Epiſcopatus vel presbyterij ſedibus habetur, vidit & ordinationes, ſiue ſtationes miniſtrorum eius, diaconorum vt mihi videtur ordinem memorat adſtantium diuino miniſterio, ſed & veſtes eius vidit, il-

las credo quibus veſtiuit eos, de quibus dicitur: Quicumque autem in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Sed & vini fuſores eius, arbitror dici doctores, qui verbum Dei & doctrinam quaſi vinū populis miſcent, quod auditorum corda lętificet. Vidit & holocauſta eius, orationum ſine dubio & ſupplicationum myſteria; hæc ergo omnia vbi vidit in domo Regis pacifici imo Chriſti, nigra hæc & formoſa obſtupuit & ait ad eū: Verus eſt ſermo quem audiui de te in terra mea de verbo tuo & de prudentia tua, & nō credebam narrantibus mihi, doctoribus ſcilicet ſeculi & Philoſophis, donec ipſa veni, non enim fidem meam in illis qui ſunt locuti de te, ſed in te direxi, quia non hominibus ſed tibi credidi Deo, & per illos quidem audiui, ad te autem veni, & tibi credidi, apud quem multo plura viderunt oculi mei quam annunciabantur mihi.

Capvt tertivm.

Eccleſiam Dei, multis ex ordinibus & officiorum gradibus conſtare, varijs ſimilitudinibus ſcripturæ ſacræ oſtenditur.

Qvod

QVOD ſi & in omnibus creaturis ordo hic tam ſpecioſus cerni poſſit, & in Synagoga veteri multorum graduum atque ordinum (vt antea probauimus) diſtinctio fuit, quãto magis Eccleſia Dei noſtri extra quam neminẽ viuificat Spiritus Sanctus, nec cuiquam ſalus vera cõtingere poteſt, de qua quidã Sanctorum præclare dixit, prophanum eſſe, adulterũ eſſe, nec poſſe habere Deum patrem, qui non habeat eccleſiam matrem, quę cum ſit ab omnium excellentiſſimo architecto ſapientiſſime conſtructa (fundauit enim eam altiſſimus, & fundamenta eius in mõtibus ſanctis) ſuarum partiũ omniũ luculentiſſimo ordine carere non poteſt. Hęc eſt enim illa quę Ciuitas in ſcripturis ſacris appellatur, ſępenumero domus, quandoque regnum aut etiam regina, ſed in veſtitu deaurato circumdata varietatibus, aliquando caſtrorum acies, nonnunquam nauis, corpus autem Chriſti ſępiſſime. Nam & Dauid, Magnus, inquit, Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Et alio in loco, Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Et verus noſter Dauid Chriſtus,

Cyprianus de unitate Eccleſiæ.

Pſal. 86.

Pſal. 47.

Pſal. 86.

Math. 5.

ſtus non poteſt, ait, ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, in qua etiam Ciuitate, iuxta Apoſtolum non ſumus hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Domus quoque nominatur ab eodem Propheta Dauid, cum ait, Domine, dilexi decorem domus tuæ, & alibi, Benediximus vobis de domo domini. Rurſum, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam, de qua & Aggæus vaticinatur, magnam fore gloriam iſtius domus nouiſſimæ pluſquam primæ. Et Angelus apud Lucam, Regnabit in domo Iacob in æternum. Sed & Apoſtolus, Quæ domus (inquit) ſumus nos, & Moyſes in vna hac domo comedẽdum eſſe agnum ſub typo agni paſchalis inſinuauit. De regno eccleſiæ Chriſti apertiſſime Eſaias teſtatus eſt dicens, Super ſolium Dauid, & regnũ eius ſedebit. Et Angelus apud Lucam, Regni (inquit) eius non erit finis. Nec Chriſtus ipſe Regnum ſuum tacuit, cum ait, Mittet filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno eius omnia ſcandala: quod de regno cęleſti intelligi nõ poſſe Gregorius recte animaduertit, quoniam

Eph. 2. *Pſal. 25.* *Pſal. 117.* *Pſal. 126.* *Aggæi 2.* *Lucæ 1.* *Hebr. 3.* *Exodi c. 12.* *Eſaiæ 9.* *Lucæ 1.* *Math. 25.*

niam in illo regno beatitudinis in quo pax ſumma eſt, inueniri ſcãdala non poſſunt quæ colligantur. Et Apoſtolus cum tradiderit (inquit) regnum Deo & patri. *1.Cor. 15.*
Exercitum autem & caſtrorum aciem eſſe innuit ſcriptura, cum ſponſus de ſponſa *Cantic. 6.* loquens ait, Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. De quorũ caſtrorum militibus alio loco dicitur. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. De quibus etiam Zacharias prophetauit, Circundabo domum meam ex his qui militant mihi. Et Paulus, Labora tanquam bonus miles. Nec ſane mirum, cum ſanctus Iob militiam aiat eſſe vitam hominis ſuper terram; In qua nimirum nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarũ harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. De hac Naui eccleſiæ Salomon dixit, factam eſſe quaſi nauem inſtitoris de lõge portantem panem ſuum. Hæc eſt nauis illa, in qua dũ Chriſtus aliquan-

Cantic. 3. *Zach. 9.* *2.Timot. 2.* *Eph. 6.* *Prouerb. vltimo.* *Math. 14*

Luca 5. do dormire videtur, ipſa iactatur a ventis & fluctibus. In hac Naui D. Petrus & alij piſcantur, quoad interdum præ multitudine piſcium retia rumpantur; Quę in

Geneſis 6. arca Noe longe antea a primordio mundi pręſignificata fuit, in qua qui non erat, perire neceſſe habuit regnante diluuio. In hac arca manſiunculæ ſcite factæ ſunt, & cænacula, & triſtega, ac de cunctis animantibus, bina ac bina ſaluata ſunt. Corpus denique Chriſti, eſſe eccleſiam, Paulus aſſeruit cum dixit, Ipſum dedit caput

Eph. 1. ſuper omnem eccleſiam quæ eſt corpus eius. Item, Vnus panis & vnum corpus

1. Cor. 10. multi ſumus, & ſicut in vno corpore, mul-

Rom. 12. ta membra habemus, omnia autem mẽbra non eundem actum habent, ita multi ſumus vnum corpus in Chriſto. Et in alio

1. Cor. 12. loco, In vno ſpiritu omnes nos in vnum

Epheſ. 4. corpus baptizati ſumus. Rurſum, Vnum corpus, & vnus ſpiritus. Quæ cũ ita ſint, quis in vna Ciuitate aut Repub. & vnũ ſummum magiſtratũ, & etiam alios inferiores eſſe debere non intelligit? Quis in vna domo poſt vnũ Patremfamilias, non alios collocet, qui ſuis quique ordinibus pręſint? Aut cur in vno regno, (vt omnia

ſum-

ſumma vni Monarchę tribuamus) ita Ducibus, Comitibus, aliiſque regni proceribus, ſuum honorem non deferemus? In exercitu vero Imperator vnus eſt qui omnibus præeſt, ſed & alij permulti eſſe debent, qui ſuas ſinguli diſpartitas legiones, & cohortes ducant, ex quibus omnibus vna cum militibus rite diſpoſitis, ordinata demum acies, vnaque diſciplina bellica coaleſcit. In Naui ſimiliter, excepto gubernatore, quam multa genera hominum ſunt, qui ſuum locum atque ordinem ſeruant? In vno etiã corpore vnum eſt caput, ſed & alia membra ſunt, quorum vnumquodq; ſuum habet diſtinctũ & proprium officium. In vna ergo eccleſia & vnum ſummum caput & plures eſſe gradus & ordines officiorum Eccleſiaſticorum neceſſe erit. Quod duabus ſimilitudinibus Nauis & corporis humani, copioſius in ſequentibus capitibus docebitur.

Capvt qvartvm,

Quo demonſtratur ex ſimilitudine Nauis, quæ ſit ſacra hæc deſcriptio ordinum & diuerſorum munerum in eccleſia, & ſimul quem locum Epiſcopi obtinent: ex Clemente, & Epiphanio.

Qvem-

Cicero in libro de ſenectute.

QVEMADMODVM igitur (vt quidam ſecularium literarum peritus ſcriptum reliquit) in naui optime inſtructa, alij malos ſcandunt, alij circum foros curſant, alij ſentinã exhauriunt, vnus autẽ clauũ in manu tenet, ſedẽs in puppi quietus non agit ea quę iuuenes, at vero multo maiora & meliora facit, non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio & authoritate & ſententia, ita ſiue in vniuerſa Eccleſia præter inferiores officiorum gradus, vnus ſummus Pontifex, ſiue in ſingulis Prouincijs ac Diœceſibus Epiſcopi clauũ in manu tenent, & ſinguli ſuas naues dirigunt, qui nõ ideo ceſſant aut nihil agere dicendi ſunt, quia officijs ac munijs aliorum non ſe implicant, cum ipſi alijs quæ ſunt agenda præſcribunt, tempeſtateſque, ſcopulos atque ſyrtes, & vniuerſa pericula futura longe ante denunciant. Sed cum de Naui Eccleſię eiuſque vniuerſo ordine ac deſcriptione diſſerimus, præſtat ipſius D. Petri vt rei nauticę ſimul & diſciplinæ eccleſiaſticæ peritiſſimi, qui in vtraque naui Piſcatoris partibus ſtrenue perfunctus eſt, verba audire,

dire, quæ ſunt apud Clementem Romanum copioſiſſime deſcripta; quæ idcirco prolixius citabo, vt intelligatur quem locũ in eccleſia Dei, quaſi in Naui optime inſtituta, Epiſcopi habeant, quemque alij inferiorum claſſium miniſtri, locus enim pulcher eſt, & inſtituto noſtro peraccõmodatus. Illud eſt (inquit Petrus) quod præ cæteris ab omnibus vobis cupio in communi ſeruari, vt concordiam teneatis, per quod ſolum poteſtis portũ quietis intrare, & ciuitatẽ ſummi Regis (quę pax nominatur) habitare. Similis namq; eſt omnis ſtatus eccleſiæ magnæ Naui, quæ per vndoſum pelagus diuerſis e locis & regionibus viros portat, ad vnã potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo Nauis huius dominus ipſe omnipotẽs Deus, gubernator vero ſit Chriſtus, tum demum Proretę officium Epiſcopus impleat, presbyteri nautarũ, diaconi diſpenſatorum locum teneant, hi qui catechiſant nautologis conferantur, epibatis autem ſeu vectoribus, totius fraternitatis multitudo ſimilis ſit, ipsũ quoq; mare hic mundus habeatur, ventorum vero varietates & turbinum, diuerſis tentatio-

Clemens epiſtola 1.

tationibus conferuntur, perſecutiones, tribulationes, & pericula fluctibus exæquantur. Terreni vero ſpiritus, qui vel de torrentibus vel de conuallibus ſpirant, Pſeudoprophetarum, & ſeductorum prauæ doctrinę verba ducuntur. Promontoria vero, & loca confragoſa, hi qui in poteſtatibus ſeculi ſunt iudices, & pericula minantur, & mortes. Bithalaſſa vero loca quæ duplicibus vndæ fallacis æſtibus verberantur, dubijs mēte & de repromiſſionum veritate nutantibus conferuntur, atque his qui irrationabili fidem noſtram ratione diſcutiunt, hypocritę autem & doloſi piratis ſimiles habeantur. Iam vero rapidus vortex & tartarea charybdis & ſaxis illiſa naufragia, ac mortiferæ ſubmerſiones, quid aliud ſunt quam peccata? Reſtat igitur, vt hæc Nauis curſu proſpero, tuto poſſit portū deſideratæ vrbis intrare, ita Deo precem fundere nauigantes debere, vt mereantur audiri. Audiri autem a Deo ita merebitur quis ſi orationes ipſæ bonis operibus, & bonis moribus adiuuentur. Sed ante ōnia cum quiete & ſilentio, epibatę ſeu vectores, hoc eſt laici in ſuis quique reſideant

ant locis,ne forte per inquietudinẽ & incõditos,inutileſq; diſcurſus, ſi paſſim vagari cœperint, vel ab officio ſuo nautas impediant, vel in alterũ latus per inquietudinem illorum, nauis preſſa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant, & nihil omnino quod ad diligentiam vel ad diſciplinam pertinet Diaconi negligant. Presbyteri velut nautæ aptent ſingula ad inſtructionẽ Nauis, diligenterque inſtruant quæ in ſuo tempore requirenda ſunt. Epiſcopus tanquã Proreta vigilanter & ſollicite gubernatoris verba cuſtodiat Chriſti. Saluator dominus gubernator eccleſię ſuę diligatur ab õnibus, & ipſius ſolius præceptis ac iuſſis credat, & obediat omnis eccleſia. Deo quoque indeſinenter ſupplicetur a cunctis de proſperitate ventorum,vt nauigãtes omnem tribulationem,omneque periculum ſuperent, tamquam mare profundum mundi iſtius, & vitæ humanæ pelagus nauigantes,in quo eſuriendum ſit & ſitiendum, nuditas quoque ferenda, morbi etiam coporis & ægritudines tolerandæ, inſuper & hominum inſidijs ac dolo ſæpe laborandum, quippe

qui

qui diſpergendos ſe nonnunquam nouerint, ſed aliquando etiam congregandos, vomitus quoq; & ſuggillationes ferendas cum ex confuſione peccatorum & reiectione criminum, velut male congregatis in viſceribus fellis iactura facienda eſt, & abijcienda prorſus a corde omnis intrinſecus quæ latet amaritudo peccati, ſi qua forte ex deſiderijs iniquis velut ex cibis noxijs congregata eſt. Quam vtique cum euomuerit quis, & abiecerit, ingentis ægritudinis liberabitur morbo, ſi tamen poſt vomitum, quę ad ſanitatem pertinent ſumat. Verumtamen ſcitote cuncti quod ſuper omnes vos laboret Epiſcopus, quia vnuſquiſque veſtrum ſuū laborem fert, ille vero & ſuum & ſingulorum. Audiuimus de Naui Eccleſię & omnium qui hanc Nauem conſcendunt eamue regunt, ordinatiſſima diſpoſitione D. Petri inſignis Piſcatoris verba, quo nemo melius aut illuſtrius hanc perpetuam metaphoram Nauis eccleſię depingere potuit, quam ille qui ex Naui & retibus ſuis vocatus optime nouerat piſcationem hominum ſpirituale̅, ex hac piſcatione ſua corporali emetiri, hic igitur

Epi-

Epiſcopum proximum Chriſto & quaſi Proretam facit, qui quaſi in prora excubias agat, & quid alijs iuxta Chriſti gubernatoris pręcepta faciẽdum ſit edicat. Epibatas vero ſeu vectores & totam illam multitudinem laicorum, quorum iam permulti ſua inquietudine hanc Nauem deprimunt, monet vt modeſte ſe gerant, neue ſe in vnã vel alteram partem cõmoueant, alios ſimiliter omnes ſui officij admonet, quæ cum in ſuperioribus aperte ſatis ex ipſius Petri verbis petere liceat, fruſtra a me hoc loco repetenda eſſent, Illud tamen quaſi tabulam ex hac Naui arreptam, iterum in manus ſumere non verebor, quod vltimo loco poſitum fuit Epiſcopi videlicet munus eſſe plus omnibus laborare, qui non ſolum onus ſuũ vt ſinguli quique noſtrum portabit, ſed & ſuum & ſingulorum aliorum. Qui locus Anacleto Pontifici ita commode expoſitus videbatur, vt maximam eius partem in ſuam epiſtolam tranſtulerit. Aliter paulo Epiphanius ſed eodem fere recidit, cum ſimilem eſſe ait Sanctam Dei Eccleſiam Naui: Nauis autem non ex vno ligno conſtat, ſed ex diuerſis, & carinam

Anacletus epiſtola 1.

Epiphanius lib. 2. tom. 1. hereſi 61. de apoſtolicis.

nam quidem ex vno ligno habet, ſed non vno modo. Anchoras autem ex alia materia; mali item & tabulata & puppis partes parietumque ac tranſtrorum, velorum item ac temonū, gubernaculorumque ac aliorum omniū ex diuerſis lignis compactionem habent, vnaquęque vero hæreſis velut ex vno ligno conſtat, & Eccleſię formam non oſtēdit: at Dei Nauis omnem inſcenſorem admittit præter latronem. Nā cum noſcat latronem ac Piratam, ipſum non admittit, neque fugitiuum & qui a proprijs dominis diſcedit, ſic & ſancta Dei Eccleſia non admittit ſcortationem, non ſuſcipit adulterum, nō abnegationem Dei, neque reprobantes dominium ordinationis Dei & Apoſtolorum eius. Suſcipit autem alium in magna negotiatione, alium in experientia nauigantem, alium gubernatorem & ſcientem, alium in prora, alium in puppi habentem ſpeculationis experiētiam, alium qui partem aliquam nauis, aut impoſitarum mercium habet, alium vt tranſeat ſolum, & non ſubmergatur in mari, & non omnino ei qui tanta poſſidet ſalutem nō exhibet, ſed nouit omnes ſaluare, vnumquemque

quemque vero iuxta propriam negotiationem & ſalutem. Cum igitur illi Epiſcopum in prora a Deo conſtitutum expellant, & dominium ordinationis Dei & Apoſtolorum reprobent, non immerito (ſi Epiphanium audire velimus) hæreticorum ſimiles eſſe videntur qui varios gradus non ſuſcipiunt, & ab eccleſia tamquam latrones & piratę non agnoſcuntur.

CAPVT QVINTVM,

Quo ordinem eſſe in Eccleſia docetur ex analogia membrorum & capitis in humano corpore, et quomodo Chriſtus hunc ordinem reliquit & conſtituit, ex Nazianzeno.

AT D. Paulo, & ei qui elegantiſſime illum interpretatur Gregorio Nazianzeno ſimilitudo Eccleſiæ & corporis humani magis placet. Hic igitur Nazianzenus in eodem libro cuius ſupra mentionem fecimus, Eccleſiaſticā hāc hierarchiam deſcribens ſic ait: Atque vt ad rem ipſam cuius cauſa hęc omnia diſſerui, & ad quam iampridem noſtra feſtinat oratio, veniamus, ordo in Eccleſijs quoque conſtituit vt alij oues ſint, alij Paſtores, a-

Nazianzenus in oratione de moderatione in diſputatione ſeruanda.

lij prȩſint, alij ſubſint, atque imperia accipiãt, alius caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Eccleſiæ concinnitatem & ornatum, vtilitatemque vel ſubditorum vel prȩfectorum; Et quemadmodum in corporibus licet membra inter ſe abrupta atque diſtracta non ſint, verum tota illa cõgeries vnum corpus ſit, ex diuerſis membris conflatum, non tamen eadem eſt omnium vis & facultas, tametſi alioqui ad beneuolentiæ concordiæque neceſſitatem, honoriſque parem in diſparibus rationem alia aliorum opera ex æquo indigeant. Neque enim oculus incedit, ſed viam cõmonſtrat, nec pes proſpicit, ſed ingreditur ac loca permutat, nec lingua voces accipit, id enim aurium munus eſt: Nec rurſus auris loquitur, quod linguæ officium eſt: Et naris quidem eorum quæ olfactu ſentiuntur organum eſt; guttur autẽ, ſicut Iob ait, cibos deguſtat; manus porro dandi atque accipiendi inſtrumentum eſt, mens denique omnibus præeſt atque imperat, nimirum a quo vis ſentiendi proficiſcitur, & ad quam ſenſus omnes tendunt, & referuntur. Ad hunc
quo-

quoque modum apud nos,hoc eſt in cõmuni Chriſti corpore res ſe habet. Omnes enim corpus vnũ in Chriſto ſumus; ſinguli autẽ Chriſti atq; alij aliorum mẽbra. Alij enim dominantur & præſunt, alij parent & reguntur. Et quamquã non eadem ſit vtrorumque actio niſi quis idem eſſe contendat præeſſe & parere ; fiunt tamen vtrique in vnum Chriſtum ab eodem ſpiritu cõſtructi & compacti. Ac rurſus quemadmodum inter eos qui ſubſunt permagnum diſcrimen reperitur, vt qui & doctrina & vſu atque exercitatione, & ætate inter ſe diſtent: Eodem ſane modo inter præfectos quoque non parua differentia eſt. Et quoſdam quidem (inquit Paulus) poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos,ſecundo Prophetas,tertio paſtores & doctores . Primum propter veritatem , alterum propter vmbram atque obſcuritatem, poſtremum propter vtilitatis illuminationiſque diuinæ mẽſuram & actionem. Et ſpiritus quidem vnus eſt, cęterum diſpares gratię, quandoquidem nec paria ſint ſpiritus conceptacula. Poſt. Hunc ordinem, inquit, fratres reuereamur, hunc tueamur,& obſeruemus,alius

auris ſit,alius lingua,alius manus, alius aliud quiddam,alius doceat,alius diſcat, alius proprijs manibus bonum operetur, vt habeat quod egentibus impartiatur,alius præſit ac plebem moderetur,alius per officioſum miniſterium iuſtitiæ laudem conſequatur. Qui docet in modeſtia doceat, Prophetæ enim duo aut tres loquãtur idque viciſſim, atque vnus interpretetur, quod ſi alij reuelatũ fuerit primus loco illi cedat, qui diſcit in obediẽtia, qui tribuit in hilaritate, qui miniſtrat in alacritate. Ne linguæ munere quod omniũ promptiſſimum & paratiſſimum eſt fungamur,ne omnes Apoſtoli ſimus, ne omnes Prophetæ,ne omnes interpretes. Et paulo poſt. Magnum & illuſtre eſt doctorem ſe profiteri,audio, ſed diſcere periculo vacat. Quid paſtoris munus tibi ouis arrogas? quid pes caput fieri contendis? quid exercitum ducere aggrederis in militum ordinem adſcriptus? & cætera permulta, quæ ſi quis diligenter perpendat non hęc de ſuis tẽporibus Nazianzenum protuliſſe, ſed noſtra pręſignificaſſe & quaſi digito demonſtraſſe aſſeret, in quibus ſeditioſi iſti & rebelles omnia ſibi vẽdicant,

dicant, ordinem totum & ciuilem & eccleſiaſticum funditus euertunt, nec Regiam maieſtatem, nec Epiſcopalem dignitatem ſaluam & incolumem eſſe ſinunt. Quos vt melius Chriſti exemplo refellamus, illud vnum ex eodem Nazianzeno, quaſi colophonis loco libet adijcere. Sic enim ſcribit. Vis aliud quoque ordinis & diſciplinę exemplum in medium proferam, idque pręclarum & laudabile & præſenti commemoratione atque admonitione in primis dignum? Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis magnis vtique omnibus & excelſis ac electione dignis, hic Petra vocetur atque eccleſiæ fundamenta fidei ſuę credita habeat, ille impenſius ametur & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli poſthaberi ſe trãquillo animo ferant? Iam cum in mõtẽ aſcendendum fuiſſet, vt Chriſtus corporea forma ſplenderet ac diuinitatem obiter oſtenderet, eumque qui carne tegebatur nudaret & aperiret, quinã ſimul aſcendunt? (nec enim õnes miraculi huius ſpectaculo fruũtur) Petrus, Ioãnes, Iacobus, vt virtute & dignitate, ita numero alios anteuertentes. Rurſus cum pertur- *Ibidem.*

bato animoq; anxio & paulo ante paſſionem ſecedenti, ac preces fundenti adeſſe oporteret, quinam ad eam rem adſciti ſunt? ijdem illi. Atque hæc Chriſti Prælatio & electio fuit. Quid? reliqua moderatio ordiniſque diſciplina quanta? Aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Iudas, aliud Thomas, alius aliud quidpiá, neque autem idem omnes, aut õnia vnus, ſed viciſſim quiſque ac ſigillatim & de ea re qua opus habet ſciſcitatur. Iam illud quale tibi videtur? Philippus quiddam dicere geſtit, nec ſolus audet, verum & Andreã quoque aſſumit. Petrus aliquid percontari cupit & Ioannem capitis nutu protendit. Vbi hic moroſitas, vbi dominandi amor? Hæc Nazianzenus, Sed bene habet quod Nazianzeno iudice Chriſtus aliquam prælationem & ordinem inter ſuos conſtituit, quem non ſolum inter Apoſtolos ipſos cõſtare, vel ex eo liquet, quod cum duodecim Apoſtolos elegerit, alios adhuc ſeptuaginta diſcipulos miſerit, ex quibus duobus gradibus Apoſtolorum & diſcipulorum, noſtri Epiſcopi & ſacerdotes alij dimanarunt.

CAPVT SEXTVM.

Iure diuino Epiſcopos inſtitutos eſſe a Chriſto & ſuccedere in locum Apoſtolorum, ideo eorum eſſe debere locum ampliſſimum in Eccleſia Dei ex verbis D. Pauli & multorum ſententijs Patrum.

NON eſſe autem humanum inuentum, ſed diuinitus a Chriſto & Spiritu ſancto inſtitutum ſtatum Epiſcoporũ, præterquam quod D. Pauli verba in Actis, vbi conuocatis quibuſdam presbyteris Epheſijs, iubet attendere ſibi & vniuerſo gregi in quo eos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei confirmant; Iacobus Symanca Epiſcopus Pacenſis vir doctus, & diligens, aliquot ex antiquitate collectis authoritatibus oſtẽdit. Nam & D. Clemens narrat D. Iacobum a Chriſto ordinatum in Epiſcopũ. Et D. Ignatius, Epiſcopus, inquit, non ab homine ſed a Deo promotionem habet. Anacletus vero ſacerdotum ordinem eſſe bipartitum, Epiſcoporum & presbyterorum, ſicut dominus eum inſtituit. Sed & D. Auguſtinus, ſiue quis alius in quęſtionibus veteris & noui teſtamẽti, Nemo, inquit,

Act. 20.

In tractatu de dignitate Epiſcoporũ c. 1.

Clemens li. 1. recognit.

Ignatius epiſt. 3.

Anacletus epiſt. 3.

Aug. q. 97. vet. & noui teſt.

inquit, ignorat, Epiſcopos ſaluatorem eccleſijs conſtituiſſe. Conſtituit autem eos in Eccleſia Dei, non tanquam opiliones aliquos aut bubulcos neque vt viliſſimos quoſque operarios & baiulos, ſed eodem prorſus honoris & dignitatis gradu quo Apoſtoli fuerũt. Qua in re nobiſcum tota antiquitas Patrum conſentit, cum quibus ſi omnino errãdum eſſet, errare profecto mallem, quam cum iſtis qui Epiſcopos ſuos perſequuntur, vera ſentire. Diuus enim Clemens auctor eſt, D. Petrum dicere ſolitum, Dominum hoc ſuos docuiſſe quod Epiſcopi vicem Apoſtolorũ gererent. Teſtatur & Anacletus Epiſcopos a Chriſto miſſos eius fungi legatione, & Apoſtolis decedentibus, in eorum locum ſucceſſiſſe Epiſcopos. Cyprianus modo Præpoſitos ſeu Epiſcopos, Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedere. Modo meminiſſe, inquit, Diaconi debent, quod Apoſtolos hoc eſt Epiſcopos & Præpoſitos dominus elegit. Poſt quem Hieronymus, Apud nos, ait, Apoſtolorũ locum Epiſcopi tenent, & alibi, Omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Et Auguſtinus, quærens; Quid eſt, pro Patribus tuis

Clemens epiſt. 1.

Anacletus epi. 2. & 3.

Cyprianus lib. 4. epiſtol. 9. lib. 3. epiſt. 9.

Hieronym. in epiſt. ad Euagrium & in epiſtola 54.

tuis nati ſunt tibi filij, reſpondet. Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij tibi nati ſunt, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Item pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnẽ terram, hæc eſt catholica Eccleſia, filij eius conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram, filij eius conſtituti ſunt pro Patribus. Fruſtra erit poſt tot antiquorum ſententias ad alios poſteriores deſcendere, in quibus tamen Gregorius non eſt prætermittendus, qui ait, Apoſtolorum nunc in Eccleſia Epiſcopos locum tenere, ligandi atque ſoluẽdi auctoritatem ſuſcipere, qui gradum regiminis ſortiũtur. Et Beda noſter, Apoſtolos Epiſcoporum formam exhibere ſimul & demonſtrare docuit. Hos igitur qui in illorum locum ſuccedunt, quorum in omnem terram ſonus & prædicatio exiuit, quorũ principatus eſt valde confortatus & honoratus, qui fuerunt montes ſuſcipientes pacem populo, ductores & arietes gregis dominici, mini-

Ps. 45. *Greg. hom. 26. in Euã.* *Beda lib. 3. in Euang. Lucæ c. 5.* *Pſal. 18. & 138.* *Pſal. 71.* *Pſa. 28 64.*

ſtri

Gal. 2.
2. Cor. 5.
2. Tim. 2.
& 4.
1. Cor. 4.

ſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, columnæ eccleſię & pro Chriſto legatione fungentes, milites certantes bonum certamen, ac denique Patres ſpirituales, qui per Euangelium multos in Chriſto genuerunt, quonam quæſo loco atq; ordine alio, niſi in ſummo, ac õnium ſupremo collocabimus? Sed age excellẽtiam Epiſcopi, vel ex nomine ipſius venemur. Non enim vt in alijs diſciplinis ex rerum nominibus quæ ſæpe fortuito aut ex aliquo accidenti, vel humana ratione interdum, ſed falſa & fucata deſumi ſolẽt, infirmum admodum argumentum elicitur, ſic in Theologia & ſcriptura ſacra cuius author & magiſter eſt Spiritus Sanctus, ſed e contra longe hic certiſſima & ſolidiſſima arguměta ex etymologijs vocabulorum peti poſſunt, quia cõueniunt rebus nomina cuncta ſuis, quippe quæ nõ humana voluntate aut accommodatione, ſed diuina, & rerum ipſarum naturis conuenientiſſime indita ſint. Quid vero eſt aliud Epiſcopus quam inſpector gregis, ſpeculator domus Iſrael, paſtor & rector ſpiritualis, oculus Eccleſię, interpres diuinorum iudiciorum, verus Põtifex inter

ter

ter Deum & homines medius? Propterea enim quoſdam admonuit D. Paulus attendere ſeu prouidere & circunſpicere ſibi & vniuerſo gregi, in quo, inquit, vos Spiritus Sanctus Epiſcopos poſuit regere Eccleſiam Dei. Et D.Petrus Seniores alloquens Paſcite, inquit, quantum in vobis eſt gregem Chriſti, prouidentes, ſiue (vt græce ſonat) Epiſcopos agentes, & ſpeculantes, non coacte ſed ſpontanee. Epiſcopi enim nomẽ recte græcũ eſſe contẽdit Auguſtinus, atque inde ductum vocabulum quod ille qui prꝗficitur, eis quibus præficitur, ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens; ἐπὶ quippe ſuper, σκοπὸς vero intentio eſt, ergo ἐπισκοπεῖν, ſi velimus Latine, ſuperintendere poſſumus dicere, vt intelligat nõ ſe eſſe Epiſcopũ qui prꝗeſſe dilexerit, nõ prodeſſe. quo ſpectat & illud Ambroſij, Epiſcopũ oculorum in corpore, id eſt in eccleſia officiũ volũtariũ accepiſſe, vt reliquum per ipſum corpus ducatum lucis haberet. Epiſcopus enim a cunctis indubitanter vocaris, præſertim cum ipſo nomine cenſeris, ſi tamen actio concordet nomini, & nomen ſe ſociet actioni. Nam quid aliud interpretatur Epiſcopus

Act.20.

1.Petri 5. ἐπισκοποῦντες.

Lib. 19. de Ciu. c. 19.

Amb. c. 6. de dignitate ſacerdotali.

piſcopus, niſi ſuper-inſpector, maxime cũ ſolio in Eccleſia editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, vt & cunctorum oculi in ipſum reſpiciãt. Hunc Dionyſius Areopagita ex ſcripturis diuinis, diuinum Antiſtitẽ & iudiciorum diuinorum interpretem vocat, Angelus eſt enim domini Dei rerum omnium præpotentis. Neque ſane parum facit ad auctoritatem Epiſcopalem conſtituendam, nomen illud Pontificis, quod licet a prophanis gentilibus acceptum Eccleſia iam longo vſu fecit ſuum. Eſt enim Pontifex, non, vt hoſtes fidei rident, a pontibus faciendis nobis dictus, ſed vt eleganter D. Bernardus obſeruauit, quia ipſe pontem ſe facit inter Deum & proximum, ſed prçſtat verba Bernardi audire: Pertingit, inquit, pons iſte vſque ad Deum, ea fiducia qua non ſuam ſed illius gloriam quærit, pertingit vſque ad proximum, ea pietate qua & ipſi non ſibi prodeſſe deſiderat, offert Deo bonus mediator preces & vota populorum, reportans illis a Deo benedictionem & gratiam. Supplicat maieſtati pro exceſſibus delinquentium, vindicat in peccantes iniuriam Dei, ingratis impro-

Dion Are opag c. 7. eccl. hier. parte 3.

epiſt. 42. ad Senonéſem Archiepiſ.

improperat beneficia pietatis, contem-nentibus potentię ſecuritatem inſinuat, vtriſque tamen nihilominus placare ſtudet indignantis furorem, nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc diuinæ magnitudinē pietatis. Deniq; ſiue excedat Deo, ſiue ſobrius ſit nobis, aut Deo ſemper quantum in ipſo eſt placere geſtit, aut præſtare nobis, non quod ſibi omnino vtile eſt quærens, ſed quod multis. Fidelis Pontifex qui bona quælibet per manus tranſeuntia ſiue diuina beneficia ad homines, ſiue hominum vota ad Deum columbino intuens oculo nihil ſibi retentat ex omnibus; Nec populi requirit datum, ſed lucrum, nec Dei gloriā vſurpat ſibi, acceptum talentum non ligat in ſudario, ſed partitur nummularijs a quibus & vſuras recipit non ſibi ſed domino: hæc Bernardus. His tot inſignibus elogijs ab omnibus cohoneſtatum, & a Chriſto in ſpecula gregis ſui cōſtitutum, veluti Apoſtolorum ſucceſſorem, quis nō ſummum locum in Eccleſia Dei ſuo iure obtinere dixerit? maxime cum Ambroſium legerit dicentem: Honor & ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit compara-

tioni-

Ambr.c. 2. de dignitate ſacerdotali. tionibus adæquari. Si Regum fulgori cō-pares, & Principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallū, ad auri fulgorem cōpares etc. Rurſum nihil in *c. 3.* hoc ſeculo ſublimius Epiſcopis reperiri *Hieron. in epiſt. ad Nepotianū de vita Clericorum.* poteſt, & D. Hieronymum inter Regem & Epiſcopum hoc ponētem diſcriminis, quod Epiſcopus Regi antecellat, ille enim nolentibus preeſt, hic volentibus, ille terrori ſubijcit, hic ſeruitutem demit, ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas *Chryſ. hom 4. de verbis Eſaiæ.* ſeruat ad vitam, ac Chryſoſtomus quidē præclare, Regi, inquit, corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, ſacerdos autem maculas peccatorum, ille cogit, hic exhortatur, ille neceſſitate, hic conſilio, ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia, ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum eſt aduerſus demones. Maior hic principatus, propterea Rex caput ſubmittit manui ſacerdotis, & vbiq; in veteri ſcriptura ſacerdotes inungebāt Reges. Nec Naziāzenus *Nazianz. apologia 1. de fuga.* in hoc ordine prætereundus eſt, qui Epiſcoporum magnitudinem, & eminentem poteſtatem animo ſuo metiens, Quis ille eſt, inquit, qui veritatis antiſtitem ac propugna-

pugnatorem vnius dieculę ſpacio, velut ſimulacrum ex argilla fingit, illum inquam qui cum Angelorum claſſe atque ordine futurus eſt, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad ſupremũ altare ſacrificia tranſmittit, ſimulque cum Chriſto ſacerdotio fungitur, qui figmentum inſtaurabit, imaginemque Creatori ſiſtet, & ſuperno mundo opificem aget, & vt quod maius eſt dicam, Deus erit, alioſque Deos efficiet. Qui quãuis in carmine ad Epiſcopos malos, illorũ tamen dignitatẽ magnificis vocibus prædicat & extollit, O inquiens, ſacerdotes incruenta ſacrificia mittentes, o illuſtres animarum cuſtodes, o magni Dei figmentum in manibus veſtris geſtantes, o Deum hominibus cõciliantes, o mundi fundamenta, vitæ lumina, Chriſtianæ fidei columina, immortalis vitæ doctores chriſtiferi, claris ſubſellijs inſidẽtes, ſublimes, & quæ ſequuntur. Sed de amplitudine loci Epiſcopalis ſatis ſuperque dictum ſit, videamus deinceps, quanto illos honore & reuerentia proſequi teneamur.

Nazianz. in carmine ad Epiſcopos malos.

Capvt septimvm.

Deo-

De obedientia Epiſcopis debita ex multis ſcripturis, veterum ſententijs, & hiſtorijs.

QVORVM igitur tanta eſt in Eccleſia Dei poteſtas, tanta dignitas, dubitabimuſne illis per omnia obſequi & obtemperare, de quibus Chriſtus ipſe, Qui vos, inquit, audit, me audit, Et D. Paulus, obedite Præpoſitis veſtris, ac ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, pro animabus veſtris rationem reddituri, Quin & legis naturæ præceptum eſt, honorare Patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram: nec ille minus Pater cenſendus eſt qui nos Chriſto per Euangelium genuit, quã qui de proprio corpore procreauit: idcirco & Paulus Galatas filios ſuos vocat, & ad Corinthios ſcribens, Non vt confundam, ait, vos, hęc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo: nam ſi decem millia Pædagogorum haberetis in Chriſto, ſed non multos patres, nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Ambroſius autem nõ minus ſe diligere ait, quos per Euangelium genuit, quam ſi de coniugio ſuſcepiſſet. Quid illud, nonne omnem omnino rebellionem in Epiſcopos & Patres ſpirituales tollit, quod iubet

Lucæ 10. *Hebr. 13.* *1. Cor. 4.* *Gal. 4.* *1. Cor. 4.* *Lib. 1. offi. 7.*

Sapiens

Sapiens. In tota anima tua time Dominum,& ſacerdotes illius ſanctifica, in omni virtute tua dilige eum qui te fecit & miniſtros eius ne derelinquas: honora Deum ex tota anima tua & honorifica ſacerdotes & propurgate, vel vt quidam legunt propugnato cum brachijs. Vbi tantum abeſt, vt permittat nos arma in illos ſumere, vt ètiam propugnari & defendi a nobis velit. Sed luculentiſſime profecto Clemens Romanus quid Epiſcopis debeatur tanquam ſpiritualibus Parentibus multis in locis expreſſit, quæ non grauabor adſcribere,vt iſtum ſiue torporē hominum noſtris temporibus excitem, ſiue impietatem redarguā,qua Epiſcopis non magis tribuunt,atque vtinam non multo etiam minus,quam quibuſuis alijs. Is igitur in conſtitutionibus ſuis Apoſtolicis, Quid dicemus, inquit, de Epiſcopo, per quem dominus Spiritum ſanctum in ordinatione vobis dederit,per quem ſanctā doctrinam didiciſtis, & Deum cognouiſtis,& in Chriſtum credidiſtis, per quem cogniti eſtis a Deo, per quem conſignati eſtis oleo exultationis, & chriſmate ſapientiæ, per quem filij lucis facti eſtis, per

Eccleſ. 7.

Clement conſt. lib. 2. c. 36.

quē domin⁹ in illuminatione veſtra Epiſcopi manus impoſitionem teſtimonio ſuo comprobans in ſingulis veſtrum ſuā ſacram emiſit vocem dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Per Epiſcopum o homo adoptat te Deus in filium, co-
Ibidem. c. 37. gnoſce fili dexteram matris tuæ, & dilige eum qui ſecundum Deum tuus Pater eſt, & illum reuerere. Sequenti vero capite. Nam ſi de Parentibus ſecundum carnem lex diuina dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene tibi ſit, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur, quanto magis de ſpiritualibus parētibus vobis præceptum eſt vt eos honoretis & diligatis, tanquam beneficos legatoſque ad Deum, qui vos per aquam regenerauerunt, verbo quaſi lacte educauerunt, in doctrina nutriuerunt, in mandatis confirmauerunt, ſalutari corpore & precioſo ſanguine dignos reddiderunt, a peccatis ſoluerunt, & ſacroſanctę Euchariſtiæ participes effecerūt, diuinæ promiſſionis cōſortes, coheredeſque ſtatuerunt? hos venerabiliter colite varijs honoribus, ij enim a Deo vitę & mortis poteſtatem acceperunt in peccatoribus iudicandis dānandiſque

nandiſq; in mortem ignis æterni, nec non in liberandis ijs qui redeunt, & in vita illis præſtanda. Et quia ab hoc authore qui cum Apoſtolis vixit difficulter auellor, addam ex eo & tertium locum, quo non ſolum reuerentiam, ſed honorem neceſſariæ ſuſtentationis eis tribuere præcipit his verbis : Hos Principes & Reges veſtros putatote, & tributa tanquam Regibus penditote. De veſtro enim, illos & domeſticos eorũ ali oportet, quẽadmodũ Samuel præcipit populo de Rege, & Moyſes de ſacerdotibus in Leuitico, eodem modo nos de Epiſcopis vobis præcipimus. Nam ſi tunc populus pro portione tãto Regi munera prębebat, quanto magis nunc Epiſcopus decreta ſibi a Deo ſtipendia capere debet ad ſe alendum & clericos qui apud eum ſunt? Quid ſi aliquid orationi addendum eſt? plura hic capiat quam ille olim. Ille enim rem militarem tantum adminiſtrabat, belli paciſq; moderator ad tuenda corpora; hic vero Dei ſacerdotium adminiſtrans corpus & animum liberat. Quãto igitur anima corpore eſt excellentior, tanto ſacerdotium regno pręſtat, ligat enim id & ſoluit ſupplicio

Clemẽs lib. 2. conſt. apoſtolicarũ c. 38.

plicio vel indulgentia dignos. Ideo Epiſcopum diligere debetis vt patrē, timere vt Regem, honorare vt dominum: Sed ex Clemente hactenus.

In epiſt. ad Romanos. *In epiſt. ad Tarſenſes.*

Quid etiam aliud fere continuo inclamat S. Ignatius ille cognomento Theophorus, qui de ſeipſo dicit, Frumentum Dei sū, & beſtiarū dentibus molor, vt purus panis Dei reperiar, qui a Syria Romā vſque cū beſtijs depugnauit, per terrā, per mare, nocte, dieq; colligatus decē leopardis hoc eſt decē militibus, in ōnibus fere epiſtolis ſuis, quā vt Epiſcopis, ſacerdotibus & diaconis, iuxta Dei ordinationē ōnes obſequerentur? Veneremini (inquit in epiſtola ad Trallianos) autem Epiſcopum veſtrū ſicut Chriſtum, vt nobis beati præceperunt Apoſtoli. Et poſt, Quid eſt enim Epiſcopus niſi qui principatum omnem & poteſtatem ſupra omnes obtinet, vt obtinere homo poteſt qui eſt pro virib⁹ Chriſti Dei imitator? Ad Magneſianos vero, Nihil, inquit, ſit in vobis quod vos ſeparare poſſit, ſed vnum efficiamini cum Epiſcopo, Deo ſubiecti per eum in Chriſto. Sicuti ergo Chriſtus dominus ſine Patre nihil facit (non poſſum

Ignatius in epiſtola ad Trallianos.

In epiſt. ad Magneſianos.

enim

enim ait facere a me quicquam) ſic etiam & vos ſine Epiſcopo, neq; presbyter, neque diaconus, neque laicus, neque quicquam vobis videatur rationi conſentaneum præter illius ſententiam, tale enim iniquum eſt,& odioſum Deo. Sed & in epiſtola ad Tarſenſes, presbyteros monet Epiſcopo eſſe ſubditos, diaconos presbyteris, populum presbyteris & diaconis: addens, animarum eorum vicem ſubeam ego, qui cuſtodiunt hanc ordinationem. Ad Philadelphenſes autem, totum ordinem obedientiæ deſcribit, Principes, inquiens, obedite Cæſari, milites Principibus, diaconi presbyteris, ſacrorum præfectis presbyteri, diaconi, & reliquus clerus vna cum omni populo & militibus & principibus & Cęſare, Epiſcopo: Epiſcopus Chriſto, ſicut Chriſtus patri,& ita vnitas per omnia ſeruatur. Sed nimis diu fortaſſis in vno Ignatio immoror, ad alios poſteriores deſcendam, modo illa ſolum quæ in epiſtola ad Smyrnēſes copioſe admonet attigero, Vbi ōnes inquit, Epiſcopum ſequimini, vt & Chriſtus Ieſus Patrem, & presbyterorum cœtum vt Apoſtolos, diaconos autē reuereamini vt Dei

Ignatius in epiſt. ad Tarſenſes.

Idem habet in epiſt. ad Polycarpū.

In epiſt. ad Philadelphenſes.

In epiſt. ad Smyrnenſes.

mandatum miniſtrantes; Nemo abſque Epiſcopo quicquam eorum agat, quæ ad eccleſiam pertinent, illa firma Euchariſtia cenſeatur quę ſub Epiſcopo fuerit aut cui ipſe demandarit: vbicumque Epiſcopus apparuerit, illic & plebs eſto; ſicuti & vbi Chriſtus eſt, omnis cæleſtis militia præſens eſt, & adeſt tanquam duci militiæ virtutis domini, & vniuerſæ intelligibilis naturę diſpenſatori. Non licet ſine Epiſcopo nec baptizare, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque docen celebrare, ſed quicquid illi viſum fuerit ſecundum beneplacitum, vt tutum ſit & firmũ omne quodcumq; agatis. Et paulo poſt, honora (inquit, ſcilicet Petrus) fili Deũ & Regem, ego vero dico honora quidem Deum vt auctorem vniuerſorum & dominum, Epiſcopum autẽ vt ſacerdotum Principem, imaginem Dei ferentem, Dei quidem per principatũ, Chriſti vero per ſacerdotium, & ſecundum ab eo honorare Regem oportet. Neque enim Deo potior eſt quiſquam aut compar in omnibus rebus, neque etiam in eccleſia quicquam Epiſcopo maius Deo ſacra faciente pro totius mundi ſalute, neque Regi compar

eſt

eſt quis in Principibus pacem & ęquitatē ſubditis procuranti. Atque hęc martyr ille celeberrimus Ignatius. Cyprianus etiā valde multus eſt in eo vt probet obtemperandum eſſe Epiſcopis, tum quia Chriſtus præcepit illos eſſe audiendos, tum quia ipſe cum leproſum mundaſſet: Vade, inquit, oſtende te ſacerdoti. Et cum poſtea tempore paſſionis alapam accepiſſet a ſeruo ſacerdotis, eique dixiſſet, Sic reſpondes Pontifici, aduerſus Pontificem dominus nihil contumelioſe dixit, nec quicquam de ſacerdotis honore detraxit, ſed innocentiam ſuam magis aſſerens & oſtendens. Si male, inquit, locutus ſum exprobra de malo, ſi autem bene quid me cædis? Item in Actibus Apoſtolorum, Beatus Apoſtolus Paulus cum ei dictum eſſet, ſic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo, (quamuis domino iam crucifixo ſacrilegi & impij & cruenti illi eſſe cœpiſſent, nec iam quicquam de ſacerdotali honore & authoritate retinerent) tamen ipſum quamuis inane nomen & vmbram quādam ſacerdotis cogitans Paulus, Neſciebam Fratres, inquit, quia Pōtifex eſt. Scriptū eſt enim, Principi plebis tuæ non

D. Cyprianus lib 1 epiſt. 3 ad Cornelium. Eadem fere ſcribit li. 4. epiſt. 9. ad Florētium Puppianū de obtrectatoribus.

maledices. Et mox, cum hęc tanta ac talia & multa exempla pręcedant quibus ſacerdotalis authoritas & poteſtas de diuina dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui ſacerdotum hoſtes & contra eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonétis domini comminatione, nec futuri Iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hęreſes obortę ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, Nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur; Monet quoque egregie Nepotianum Hieronymus, vt Epiſcopo ſuo obediat his verbis. Eſto ſubiectus Pontifici tuo & quaſi animę parentem ſuſcipe, amare filiorum, timere ſeruorum. Si ego Pater, vbi honor meus? ſi dominus, vbi timor meus? Quãtis præterea vti exemplis poſſem illorum, qui propter honorem quem Epiſcopis debitum detulerũt, omnium ore laudati ſunt, in quibus vt ab Ethnicis aut infidelibus incipiam, quis non iure miretur & prædicet honorem quem Alexander Macedo Iaddo Iudæorum Põtifici exhibuit? Qui cum iratus verſus Hieroſolymã cum exercitu

Hieronym. in epiſt. ad Nepotianũ.

Ioſephus li. 11. antiqui. c. vltimo.

ercitu veniſſet ac milites auidi prædæ nihil aliud niſi vrbis direptionem ac opima ſpolia expectarent, confeſtim vt Alexander vidit e longinquo candidatum populum & ſacerdotes ante agmen in amictu biſſino, Pontificemque Iaddum in ſtola hiacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine, ſolus ad eum accedens nomen illud adorauit & ſalutauit Pontificem? Regi Hunnorum Attilæ cognomento flagellum Dei appellato, cũ Romam ardenti furore raperetur, a Leone Pontifice, malorum Italię impendentium miſericordia permoto perſuaſum fuit vt regrederetur, qui interrogatus a ſuis quid eſſet quod præter conſuetudinẽ tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, Reſpondit ſe aſtantem quendam alium eo loquente ſacerdotali habitu veritum eſſe ſibi diſtricto gladio minitantem mortem niſi Leoni obtemperaret, quare in Pannoniam reuerſus eſt. Sed infideles hos Reges Epiſcopos honorantes relinquamus. In veteri teſtamẽto legitur quod fecerit Ioas rectum in conſpectu domini cunctis diebus quibus docuit

Ex vita Leonis primi.

lib. 4. Regũ 12.

docuit eum Ioiadas ſacerdos. In vita Cõſtantini magni ſcriptum inuenimus illum cum paucis & poſtremum omnium ingreſſum in concilium poſita parua ſede non prius conſediſſe quam annuiſſent Epiſcopi, quos ad concordiam hortatus, diligentiorem dogmatum inquiſitionem Epiſcoporum ſententiæ permiſit, de quo etiã & illud memoriæ proditum eſt quod cum ipſi oblati eſsẽt libelli Epiſcoporum quibus ſe mutuo accuſabãt, omnes coniecit in ignem dicens. Deus cõſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis iudicandi, & ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Omitto cætera quibus alias probaui Epiſcoporum eſſe in cauſis fidei iudicare & definire, quam illis poteſtatem Imperatores optimi ſemper integram & inuiolatam cõſeruarunt. Ad Valentinianum ſeniorem venio, qui cum mortuo Auxentio Eccleſiam Mediolanẽſem viduatam paſtore animaduerteret, apud Epiſcopos eiuſmodi ſermonem habuit: Noſtis aperte eruditi diuinis eloquijs, qualem eſſe oportet Pontificem, & quia non decet eum verbo ſolum, ſed etiam

Euſebius li. 10. hiſt. eccleſ. c. 2. Greg. lib. 4. epiſt. c. 75.

li. 7. tripartitæ. hiſt. c. 8.

tiam

tiam conuerſatione gubernare ſubiectos & totius ſemetipſum imitatorem virtutis oſtendere, teſtemque doctrinæ conuerſationem bonam habere. Talem itaque in Pontificali conſtituite ſede, cui & nos qui gubernamus Imperium, ſyncere noſtra capita ſubmittamus & eius monita dum tanquam homines deliquerimus neceſſario veluti curantis medicamẽta ſuſcipiamus. Quæ cum dixiſſet Imperator, petijt Synodus, vt magis ipſe cum eſſet prudens & pius diſcerneret. At ille, Super vos, inquit, eſt taliselectio. Vos enim gratia diuina potiti, & illo ſplendore fulgẽtes melius eligere poteritis. Electione autem facta ipſius Ambroſij quem Imperator vt ſedaret turbas quę in electionibus concitari ſolent eò loco præſidis miſerat adhuc catechumenum, ita precatus fertur Valẽtinianus: Gratias tibi ago omnipotens & ſaluator, quoniam huic viro ego commiſi quidem corpora, tu autẽ animas, & meã electionem oſtendiſti tuæ iuſtitiæ conuenire. Et cum poſt paucos dies Sãctus Ambroſius cum multa fiducia apud Imperatorem quereretur quod male a iudicibus ageretur, tunc Imperator: Hanc, inquit,

quit, confidentiam tuam dudum noui & aperte probans non ſolum non reſtiti,ſed etiam in electionem ordinationis tuæ ſocius fui. Feſtina itaque ſanare ſicut diuina lege præcipitur animarum delicta noſtrarum. Potuitne maius veræ obedičtiæ exemplum erga Epiſcopos vllum adferri? Cuius niſi in Theodoſio Seniore erga eũdem Ambroſium,ſimile quid factum fuiſſet, facile Valentiniano huic palmam dediſſem. Hunc igitur Theodoſium reuera magnum,& tanto maiorem,quanto melius didicerat Epiſcopis obedire;cum ſeptem hominum milia, ſine vllo diſcrimine aut delectu propter cædem quorumdam Magiſtratuum ſuorum Theſſalonicæ factam,trucidaſſet, Mediolanum ad templũ venientem & prohibuit Ambroſius aditu in templum, & ſeuera oratione increpatũ excommunicauit: cuius orationi obſecutus Imperator (nam diuinis educatus eloquijs accurate norat, tum quę eſſent officia ſacerdotum,tum quæ Regum propria) cum gemitu ac lachrimis ad Palatiũ reuertitur, qui cum per octo mẽſium ſpatium in mœrore ac lachrimis domi ſediſſet, deplorauit vehementer, quod ſeruis

Theodoretus lib. 5. c. 17.

ac

ac mendicis in feſtis Natalitijs Chriſti, facilis ad ſacrum templum aditus pateret, ipſi autem non modo ad illum locum, verum etiam ad cœlum ipſum acceſſus præcluſus eſſet. Nam venit, inquit, mihi in mentem ſententiæ a domino prolatæ quæ palam dicit: Quemcumque ligaueritis ſuper terram, erit ligatus & in cælis. Cui cum Ruffinus Magiſter aulæ diceret, ſe profecturum celeriter ad Epiſcopum, eique ſupplicaturum ac perſuaſurum vt eius ſolueret vincula: At non eſt (inquit Imperator) tibi morem geſturus. Noui enim adeo iuſtam ęquamque eſſe Ambroſij ſentẽtiam, vt non metu poteſtatis Imperatoriæ, ſit legem diuinam violaturus. Sed cum inſtaret Ruffinus, vt ei liceret abire, ac Imperator falſa ſpe inductus eum paulo poſt ſequeretur, & Ruffinum Ambroſius ſuis dictis confregit, & minabatur ſi Imperator veniret, ſe illum aditu ſacri veſtibuli prohibiturum, quamuis cum vitæ propriæ periculo; hoc audito, vbi Ruffinus clam Imperatori ſignificaſſet vt maneret in Palatio, ille tamen cum in medium forum perueniſſet, eo accepto nuntio;

tio; Eo,inquit, illuc nihilominus quo iuſtas debitaſque contumelias ſubeam: vbi vero ad ſacros templi parietes aduenit,nō ingreditur in templum, ſed ad Epiſcopū qui in ædicula ſalutatoria ſedebat accedēs obſecrat vt ſibi vincula ſoluat. At Ambroſius cius aduentum dixit eſſe tyrannicum eumque ipſum contra Deum inſanire & illius leges proterere. Sed cum Imperator non obſtinato animo ſe leges ſancitas impugnare neque ſacra veſtibula per nefas introire cupere reſpondit, ſed orare vt ſibi ſoluantur vincula, & propoſita ante oculos eius clementia illius qui eſt dominus omnium,rogauit ne ipſi occluderetur ianua, quam ille omnibus quos peccatorum ſuorum pœniteat patefecit, obtulitque talem pœnitentiam pro facinore ſe facturum qualem illi Epiſcopus imponeret. Poſtquam Ambroſius hanc ei pœnitentiam iniunxiſſet vt conſcriberet legem,qua deinceps ſententiæ per iracundiam latæ irritæ eſſent, & cognitiones cauſarum de cæde & publicatione bonorum ad triginta dies ſcriptis proditę manerent, vt recta ratione de illis iudiciū daret, & ſedata iracundia vel approbaret

vel

vel aboleret: Cum hoc cõſilium eſſet amplexus vt prudentiſſimum, lege tali conſcripta & per eum ſubſcripta, tum demum ei a D. Ambroſio ſoluta ſunt vincula, qui inductus in templum, nõ ſtans dominum precatus eſt, neque genibus flexis, ſed pronus humi abiectus verſum illum Dauidis recitauit, Adhæſit pauimẽto anima mea: viuifica me ſecundum verbum tuum. Atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrimarum guttis ſolum rigare, veniamque ſupplex petere cœpit. Cum vero & intraſſet ſanctuarium vt ad altare offerret lachrimabundus, ibique pro more, qui alijs in locis fuit, conſiſtere vellet inter cancellos ſanctuarij vſque ad perceptionem diuinorum myſteriorũ, curauit ei Ambroſius per primarium diaconũ ſignificari qui ei miniſtrabat, ſolis ſacerdotibus ad hunc locum aditum patere, qui alijs inacceſſus eſſet, iubet igitur vt exeat & cum reliquis laicis conſiſtat. Nam purpura, inquit, Imperatores non ſacerdotes efficit. Quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fideliſſimus reſponditque ſe non animi confidẽtia inductum manſiſſe intra cancellos, ſed hanc

hanc conſuetudinem Conſtantinopoli didiciſſe. Quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam. Imperator autem hæc pietatis præcepta quæ ab Ambroſio illuſtri illo Epiſcopo didicerat etiam cum reuertiſſet Conſtātinopolim obſeruauit. Nam cum diuino quodam feſto ad templum denuo veniret, ſtatim vt dona ſacræ menſæ obtulerat exiuit. Sed cum Nectarius qui tum Eccleſiæ illius antiſtes fuit, rogaret, cur non maneret intus, gemens, inquit, ęgre tandem didici quid inter Imperatorē interſit & Epiſcopum, ægre tādem reperi veritatis magiſtrum. Nā ſolū Ambroſium noui Epiſcopū dignū eo nomine. Tantum commodi reprehēſio a viro virtute pręſtanti adhibita ſecum apportare ſolet. Atque hęc de Imperatoribus qui propter ſummam erga Epiſcopos obedientiam meruerunt non ſolum vt hiſtoricorum libri, ſed etiam omnia theatra vndique ipſorum laudibus reſonarēt. Sed cum mihi apud populum Cameracēſem ſermo ſit fortaſſis populi Mediolanēſis in eūdem Ambroſium obſequio & pietate magis permouebitur; Cui cum Iuſti- Zozomenus lib. 7. c. 13. na Valētiniani Iunioris mater negotium faceſſe-

faceſſeret, quod Ariminēſis concilij fidē, vbi vt ait Hieronymus, totus orbis ſe eſſe Arrianum miratus eſt, recipere nollet, eoque conſtanter pernegante calumniata eſſet eum apud Imperatorē filium quod ab eo contumelijs affecta eſſet; Valentinianus calumnias eas eſſe veras ratus, matris vindicandæ nomine militum turbam Eccleſię immiſit, qui per vim Ambroſium raptarent, e veſtigio in exilium abducturi: at circumfuſa multitudo populi militibus reſtitit, & vel mori citius quam ſacerdotem deſerere ſtatuit, tantus fuit vniuerſi populi ardor in Epiſcopum. Nec minor profecto fuit populo Samoſateno erga ſuum paſtorem qui Euſebio catholico ſuo Epiſcopo abire coacto literis Imperatoris, obtulerunt ei, pars aurum, pars argentum, alij veſtē, nonnulli famulos vtpote in regionem peregrinam & longinquam profecturo. Poſtea vero quam Eunomius in eius locū ſuffectus eſſet, nemo ex vrbis incolis vel preſſus egeſtate, vel diuitijs affluens, famulus vel artifex, agricola vel hortulanus, vir vel mulier, iuuenis vel ſenex ad conuentum Eccleſiaſticum vt moris erat accedere voluit, ſed Pſeudo-epiſco-

Theodoretus lib. 4. c. 13. & 14.

piſcopus ſolus agebat, & cum quodam tempore lauaret ſe in balneo, populus qui ſpectabat, ipſo exeũte aquam infectam eius lotione putantes, eam in cloacam emittunt, nouamque ſibi infundi imperãt: qui cum propterea eos reliquiſſet, in eiuſque locum alius ſimilis farinæ ſurrogaretur Lucius, tanto & hic odio apud eos laborabat, vt pueri pilã quam contorſerant per aſini ipſius pedes, dum forte forum vbi ludebant tranſiret, conſpurcatam rati, extructa pyra illã per eius flammam torquent, ſicque eam purgatam iri arbitrati ſunt. Similis conſtantia fuit populi Conſtantinopolitani pro Macedonio Epiſcopo ſuo quem cum Anaſtaſius Imperator grauiſſimis iniurijs affeciſſet & in exilium deſtinaſſet, multitudo Catholicorum virorum pariter & mulierum, puerorum & monarhorum congregati ſunt clamãtes, Tẽpus (Chriſtiani) martyrij, nõ deſeramus Patrem noſtrum, neque ſinamus Imperatorem ſatagentem vt Manichæum & indignum imperio, noſtrum Epiſcopum iniurijs laceſſere. Quare Imperator ſibi a multitudine metuens, Macedonium quẽ iurauerat ſe amplius non viſurum, ſponte ad ſe

Theodoretus lib. 1. hiſt. eccl, c. 14.

ad ſe accerſit,& pro eo tempore ſimulatorie eſt cum ęo reconciliatus. His ſi populi Romani & potiſſimũ illuſtriũ matronarũ ſtudia erga Liberium ſuum Epiſcopum a Conſtantio in exilium eiectum adnumerauero, nihil erit quod in hac cauſa amplius addi poſſit. Cum enim Conſtantius poſt diſputationem cum Liberio, quem nec precibus, nec minis, nec pecunijs expugnare poſſet, illum in Thraciam relegaſſet, & Imperator biennio dilapſo Romam proficiſceretur, Magiſtratuũ & nobilium coniuges orant maritos vt a Conſtantio ſupplices petant vti Paſtor Liberius ſuo gregi reſtituatur, ſeque niſi eum exorarent deſerturas eos, & ad egregium illum Paſtorem conuolaturas. Quibus reſponderunt mariti, ſe non parum Imperatoris iram extimeſcere,& cum viri eſſent nullam fortaſſe veniam ab eo impetraturos, quod ſi ipſæ deprecarentur pro Liberio vel condonaret eum eis, vel ſi eo adduci nõ poſſet ipſas illęſas dimiſſurum, Quo conſilio audito præſtantes illæ fœminæ ſplendide vt ſolent & magnifice amictę accedunt ad Imperatorem;vt ex veſtitus ſplendore illas magis & reuerere-

Theodoretus hiſt. eccl. lib. 2 c. 17.

tur nobiles eſſe ratus & humanius eas acciperet, orant vt vrbis Paſtore orbatæ & luporum expoſitæ inſidijs miſereatur. Quibus reſpondit Imperator alterum eſſe in eius locum ſubſtitutum Fœlicem nimirum Liberij Diaconum, qui tametſi Arrianus non eſſet cum Arrianis tamen libere communicabat. Qua de cauſa nemo ex ciuibus Romanis in Eccleſiã dum ille intus erat ingredi voluit, quod & mulieres iſtæ Imperatori ſignificabant. Quæ cauſa ſic permouit Imperatoris animum vt Liberium Romam redire & vtroſque cõmuniter inter ſe Eccleſiam illam regere iuberet. Sed nec hac conditione plebs contẽta lectis Imperatoris literis in Circo clamat ęquam eſſe Imperatoris ſententiam. Nam bifariam diuiſos eſſe ſpectatores quibus nomen impoſitum eſt ex colorum varietate, & propterea alterum Epiſcopum his, illis alterũ præeſſe debere. Quo ioco cum Imperatoris literas luſiſſent omnes vno ore vociferantur, vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſcopus. Itaque redijt paulo poſt Liberius. Fœlix autem clam Roma ſe ſubducens ad aliã vrbem migrauit. Quibus ex omnibus facile eſt

le eſt videre quantum ſemper Chriſtianus populus, tam Imperatores quam reliqui ſubditi poſt Deum tribuerunt Epiſcopis ſuis, & quantopere inimicus humani generis conatus fuerit Epiſcopos a plebibus ſubmouere. Quod D. Cyprianus ex ſua experientia in epiſtola quadam ad Cornelium edoctus nos præmonuit dicens. Cum talis Frater chariſſime id eſt Epiſcopus, a quibuſdam deſperatis & perditis, & extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet, non ſcilicet Chriſtus qui ſacerdotes aut conſtituit aut protegit, ſed ille qui Chriſti aduerſarius & eccleſiæ eius inimicus ad hoc eccleſiæ præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. Nec quemquam fidelem & Euangelij memorem atque Apoſtoli præmonentis mandata retinentem mouere debet Frater chariſſime, ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi & contumaces & ſacerdotum Dei hoſtes, aut de eccleſia Dei recedũt, aut contra Eccleſiã faciunt, quando nunc tales futuros dominus & Apoſtoli diu ante prædixerint. Nec

Cyprianus lib. 1. epi. 3.

præpoſitum ſeruum deſeri a quibuſdam miretur aliquis, quando ipſum dominum magnalia & mirabilia ſumma facientem, & virtutes factorum ſuorum Dei Patris teſtimonio comprobantem diſcipuli ſui reliquerint, & tamen ille non increpauit recedentes, ſed magis conuerſus ad Apoſtolos ſuos dixit. Nũquid & vos vultis abire, ſeruãs ſcilicet legem qua homo libertati ſuæ relictus & in arbitrio proprio conſtitutus ſibimetipſi vel mortem appetit vel ſalutem. Atque hæc de obedientia Epiſcoporum hactenus.

Capvt octavvm.

Quod qui in Epiſcopos rebellant, in Deum & Chriſtum rebellant, & qua pœna tam diuina quam humana afficiendi ſunt: ex varijs locis Ignatij, Cypriani & Bullæ cœnæ domini promulgatæ per Gregorium decimumtertium, qua pœnæ in perſequentes hoſtiliter S. E. R. Cardinales latæ, in perſecutores Archiepiſcoporum & Epiſcoporum extenduntur.

AT enim ſtomachum mouiſſe nonnullis videor, quòd initio dixeram Cameracenſes excluſo Epiſcopo ſuo perdidiſſe

didiſſe dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quaſi aliter ſcriptura ſacra loquatur, quæ dicit murmurantibus quibuſdã contra Moyſen & Aaron non eſſe murmur illorum contra eos, ſed contra dominum, quaſi & dominus ipſe Samueli non dixerit, Non te ſpreuerunt ſed me, ne regnem ſuper eos, & Chriſtus in Euangelio non hanc ſententiam tulerit, qui vos ſpernit me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me, qui ergo Epiſcopos a Chriſto vt antea probauimus conſtitutos reijcit, cur non ſimul & Chriſtum & Deum reijcere cenſendus ſit? Sed mallem alios in hac cauſa audire loquentes, quam meipſum. Clemẽs igitur quem ſępe antea pro Epiſcoporum authoritate teſtem produximus, ipſe nobis primus hoc loco ſuffragabitur, qui ſiue honor ait, ſiue iniuria Epiſcopo deferatur, in Chriſtum redundat, cuius locum tenet. Huic Anacletus adſtipulator accedit quod Apoſtolis decedentibus in eorum locum ſucceſſerunt Epiſcopi, quos qui recipit & verba eorum, Deum recipit, qui autem eos ſpernit, eum a quo miſſi ſunt, & cuius legatione funguntur, ſpernit. Ignatius vero in Epiſtola

Num. c. 16.

1. Reg. c. 8.

Luca 10.

Clemẽs ep. 3.

Anacletus epiſt. 2.

Ignatius in epiſtola ad Trallianos.

adTrallianos,qui Epiſcopis, inquit, ino-bediens fuerit, Atheus & impius omnino fuerit & Chriſtum improbans ac eius ordinationem imminuens. Idem in alia epiſtola ad Philadelphẽſes, Quotquot Chriſti ſunt ij cum Epiſcopo ſunt, ex quo maniſeſtiſſime conſequitur qui ab Epiſcopo ſe diuidunt eos Chriſti non eſſe. Rurſum alibi, Sacerdotium eſt omnium bonorum in hominibus ſumma, in quod ſi quis deſæuierit nõ hominem inhonorat, ſed Deũ & Chriſtum Ieſum primogenitum & ſolum natura principem, patris ſacerdotem. Epheſios autem his verbis cõmonefacit, Date operam dilectiſſimi vt Epiſcopo ſubijciamini, & presbyteris & diaconis, qui enim his ſubditus eſt, Chriſto qui eos largitus eſt obedit, qui autem non obedit eis, non obedit Chriſto Ieſu. Sed & Cyprianus martyr hanc litem facile dirimit, cum ait, An eſſe tibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit, qui ſe a Cleri eius vel plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, cõtra Dei diſpoſitionem repugnat, Et mox. Vnde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo

In epiſt. ad Smyrnenſes.

In epiſt. ad Epheſ.

De ſimplicitate prælatorum vel vnitate eccleſiæ.

ſcopo non ſint in Eccleſia non eſſe. Qua igitur pœna digni non ſunt qui in Epiſcopos Chriſti locò conſtitutos imo in Chriſtum ipsũ rebellãt? In Deuteronomio ſeueriſſime hoc peccatũ a Domino vindicatum eſt, cum ait, Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille etc. Quẽ locum tractãs Cyprianus, quomodo poſſunt, inquit, cenſuram Dei vltoris euadere, qui talia ingerunt non ſolum fratribus, ſed & ſacerdotibus quibus honor tantus dė Dei dignatione conceditur, vt quiſquis ſacerdoti eius & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret ſtatim necaretur? Nonne Chore, Dathan & Abiròn qui in Moyſen & Aaron ſacerdotes rebellarunt, terræ hiatu abſorpti ſunt? An non & alios 250. qui in eandem cum eis factionem conſpirauerant ignis deuorauit? Ozias Rex cum quiddam tentare voluit reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, nolens ei obtemperare & cedere, nõne lepra in fronte percuſſus eſt? An putamus in nouo teſtamento illis qui a Chriſto miſſos ſiue Apoſtolos ſiue Epiſcopos qui in locum Apoſtolorum ſuccedunt reiecerint mitiorem pœnam ſtatutam

Deuter. 17

lib. 1. epiſt. 3.

tam eſſe, cum Chriſtus ipſe de eis pronunciet quod tolerabilius erit in die Iudicij Sodomitis & Gomorrhæis quam illi ciuitati, quę ad ſe miſſos noluerit recipere?

Math. 10.

Ignatius.

Quare confidenter D. Ignatius aſſeuerare audet quod ſi Epiſcopis nō obedierint omnes clerici, omnes principes atque reliqui populi, non ſolum infames, ſed etiam extorres a regno Dei & conſortio fidelium, ac a limitibus ſanctæ Dei Eccleſię alieni erunt. Item, terribile, inquit, eſt Epiſcopo contradicere. Et poſt. Nemo remanſit inultus, qui ſe contra ſuperiores extulit, neque enim legi Dathan & Abiron reſtiterunt, ſed Moyſi, ac viuentes ad inferos detruſi ſunt. Chore & qui cum eo conſpirauerant aduerſus Aaron ducenti quinquaginta igne conſumpti ſunt. Abſalon cum parricidium commiſiſſet in arbore ſuſpenſus eſt, & ſagittis eius maleuolum cor trāſfixum eſt. Abeddadan ſimiliter ob eandem cauſam capite plexus eſt. Ozias in lepram incurrit, qui contra ſacerdotes ſacerdotiūque auſus quid fuerat. Saul dignitatis honore priuatus eſt, qui non expectaſſet Samuelem principem ſacerdotum. Rurſum, Quotquot autem ab Epiſcopo declinant

In epiſt. ad Magneſianos.

& ſo-

& ſocietatem amplectuntur ac ineunt cum maledicis, ij cum illis exſcindentur, non enim ſunt Dei ſeges ſed inimici ſeminariũ. Et ad Smyrnenſes, Qui inhonorat Epiſcopum a Deo punietur. Si enim qui contra Reges inſurgit punitione merito dignus erit, vt pote qui tranquillitatem & pacem communem diſſoluat, quãto cenſetis grauius ſupplicium merebitur qui ſine Epiſcopo quicquam facere tentat, & concordiam diſtrahit, & bonum ordinem cõfundit? Et ſi de pœna diuina agatur, quænam quęſo grauior eſſe poteſt quam illa de qua Anacletus loquitur, Quod qui Epiſcopos ſpernit, & eum a quo miſſi ſunt, & cuius legatione funguntur ſpernit: & ipſe indubitanter ſpernetur a domino? Sin de pœna humana & Canonica? nunquam tãto ſceleri ſatis magna infligi poterit. Nam ſi illos qui cędem parentum carnalium machinati fuerint lex ciuilis inſui voluit in culeo cũ gallo gallinaceo, ſimia, cane, & vipera, atque ita in profluentem conijci, quanto grauiora ſupplicia mereri exiſtimatis eum qui animę ſuæ parenti necem & exitium molitur? Qui non ſolum omnium elemẽtorum vſu viuus carere debet, vt ei cælum ſuper-

In epiſt. ad Philadelphenſes.

Anacletus epiſt. 2.

§. Alia deinde de publicis iudicijs. lib. 4. Inſtit.

ſuperſtiti & terra mortuo auferatur, vt cũ cane a ſacris arceatur, per gallum gallinaceum ſomni beneficio priuetur, in ſimia nihil oſtendatur habere humani præter ſpeciem, cum vipera vt vtriuſque parenti pernicies & interitus eſſe doceatur, ſed etiam ſi quid grauius humana mens excogitare poterit aut acerbius pati debeat. Extat inter excommunicationes quæ in Bulla cœnæ domini a S. D. N. Gregorio 13. promulgatæ ſunt, duodecima, qua dicitur, Excommunicamus omnes mutilãtes, verberantes, vulnerantes, interficientes, capientes, incarcerantes S. R. Eccleſiæ Cardinales, extendẽtes cap. Fœlicis, cum omnibus in eo contentis ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſediſque Apoſtolicę legatos vel nuntios, aut prædictos legatos & nuntios ex ſuis terris ſeu dominijs, aut Patriarchas Archiepiſcopos & Epiſcopos a ſuis diœceſibus ęijcientes, eaq; mandantes ſeu conſilium vel auxilium præſtantes. Et tentarunt quidẽ antea Clemens 5. in concilio Viennenſi & Pius 5. in Bulla cœnę domini quam ipſe publicauerat, huic malo prouidere, ſed ampliſſime omnium per S. D. N. Gregorium 13. pro-

Excommunicatio 12. Bullæ cœnæ domini per Greg. 13.

proſpectum eſt, vbi non modo pœnæ cap. Fœlicis de Pœnis lib.6. quę in eos qui Cardinales Romanæ Eccleſiæ fuerint hoſtiliter perſecuti, in illos qui Epiſcopos & Archiepiſcopos ex terris ſuis & dominijs vel ex ſuis diœceſibus eiecerint, & in ōnes qui huius criminis fuerint participes extenduntur, ſed vt Nauarrę placet de mente Pontificis eſt excommunicationis pœnam quę per hanc Bullam in eos qui mutilauerint, verberauerint etc. Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinales, incutitur in ipſos qui ita Epiſcopos aut Archiepiſcopos eiecerint ex ſuis diœceſibus, mutilarint, verberarint, vulnerauerint, interfecerint, ceperint, incarcerauerint, detinuerint, fulminare. Pœnæ autem illius cap. Fœlicis, ſunt multiplices, vt veluti reus criminis læſę maieſtatis perpetuò ſit infamis, diffidatus nihilominus, & bannitus ſit, inteſtabilis, vt nec teſtamenti liberam habeat factionē, nęc ad alicuius bona ex teſtamento vel ab inteſtato vocetur, quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicaque repulſa confuſus, minus inueniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem, fiāt habitationes eius deſertę, & vt non ſit qui eas inhabitet, dentur cuncta eius

Nauarra in Manuali c. 27. Numero 67.

pœnæ c. Fœlicis de pœnis lib. 6.

eius ædificia in ruinam,& vt perpetuæ notam infamię perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur, nullus ei debita reddere, nullus in iudicio reſpondere teneatur, quicquid etiam in bonis reperitur ipſius, fiſci vel Reipub. dominio applicetur, vt ex illis nihil tranſmittat ad poſteros; ſed potius cum ipſo damnentur quodammodo & ſua. Si qua vero Feuda, locationes, officiũ vel beneficiũ ſpirituale vel tẽporale ab aliquib⁹ Eccleſijs obtinet, ſit eis ipſo iure priuat⁹, quæ ſic libere ad eccleſiã reuertãtur, quod eccleſiarũ rectores de ipſis pro ſua volũtate diſponãt. Quod ſi quis prædictorũ filiũ vel filios habeat, nepotẽ vel nepotes per rectã lineam deſcendentes beneficiatũ vel beneficiatos quouis beneficio, (etiam ſi Pontificalem adeptus vel adepti fuerint dignitatem) ſint eis ipſo iure priuati, ſpe promotionis omnino ſublata. Nulli præterea talium filiorum ac nepotũ ex virili ſexu deſcendentium ab eiſdem, alicuius aperiatur ianua dignitatis aut honoris Eccleſiaſtici vel mundani, ſeu ad alicuius loci regimen ſit aſcenſus, ſit eis poſtulandi negata facultas, ſit notorie iudicatus, & quodlibet aliud officium ſeu miniſterium

ſterium publicum interdictum: in iudicijs eorum aſſertio contra quemquam nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, vt ad teſtimonium prorſus reddantur indigni. Sit eis ad ordinem aſcenſus inhibitus, ſit ad beneficium vel offficium Eccleſiaſticum denegatus acceſſus & (vt magis famoſa ſit eorũ infamia) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eiſdem ſuper aliquo præmiſſorum, omni ſpe diſpenſationis adempta. Pręſenti nihilominus adijcimus ſanctioni vt ex inſecutione prædicta, ſicut ex iniectione manuum violenta ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat , & tam inſecutor quam alij ſupradicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perdurarint ſingulis diebus dominicis & feſtiuis, pulſatis campanis & candelis accenſis per omnes illius loci Eccleſias, in quo tantum facinus fuerit attẽtatum, nec non ciuitatum, diœceſum vicinarum excommunicati publice denuntiẽtur, nec ab alio quam a Romano Pontifice poſſint abſolutionis beneficium obtinere , niſi duntaxat in mortis articulo conſtituti. Cum autem fuerint abſoluendi, primo ſufficienter & idonee

caueant,

caueant, quod inferendæ pœnæ parebunt & auxiliante domino pœnitentiã peragẽt iniungendam, deinde per omnes illius loci Eccleſias principales vicinorumque locorum diebus dominicis & ſolennibus incedant nudi coram populo, femoralia tãtum habentes & ferulas deferentes in manibus cum quibus per eaſdem Eccleſias publice fuſtigentur, ituri poſtmodum vltra mare, & acturi ibidem pœnitẽtiam per tres annos ad minus, nec inde poſtmodum reuerſuri abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Verum cum talis gratiã reconciliationis meruerit (beneficio abſolutionis obtento) indulgeatur ei licentia, vt ſuam & ſuorum iniuriam proſequatur, & debitorum illorum quæ contracta fuerint de poſtmodum acquiſitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod ſi quis fuerit in præmiſſis nudo conſilio aut ſimplici fauore culpabilis, Iudex in talem pœnam metiatur ex culpa vt ſecundum quod exceſſus exegerit vindicta procedat. Ceterum quia dignum eſt vt nefandi ratione flagitij vltionis ſeueritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis

pœnis ſollicitis contentetur, ſtatuimus vt ad collaterales, fratres videlicet, nepotes & pronepotes talium, poſſit extendere pœnas, in huiuſmodi noſtra conſtitutione contentas circumſpectio Romani Pontificis, prout circunſtantiæ rationabiles ſuadebunt. Et paulo poſt. Si quis vero per ſe vel per alium occiderit Cardinalem (quod abſit) vel dederit cauſam mortis vltra quam præmiſſa contineant, ſic in eum poteſtas iuriſdictionis inſurgat, ſic rigor vltionis inſiliat quod contra vitæ ſubſidium, mortis ſolatium inuocet, viuens pœnæ non culpæ, vindictæ ſpeculũ non offenſæ. Per hoc quoque ſecularibus poteſtatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales quas aduerſus ſacrilegos catholici principes ediderunt. Quapropter ſi Princeps, Senator, Conſul, Poteſtas vel alius dominus, ſiue rector, contra præſumptores prædictos pręſentis conſtitutionis tenorem non fecerit obſeruari, tam ipſe quam officiales ipſius intra menſem, (poſtquam res ad notitiam eorum peruenerit) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Ciuitas vero quæuis alia, præter vrbem

Vt in lege ſi quis in hoc ſacrilegium. C. De Epiſcopis & clericis.

quæ talia faciēti vel facientibus, ſeu præſumentibus, in his cōſilium vel auxilium dederit, aut fauorem, vel intra menſem ſaltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit & facultas ei affuerit) non duxerit puniendos, Pontificali vt ſupra, ſit eo ipſo dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta: Quę ne quis tyrannica & crudelia eſſe arbitretur, cogitet vt Clemēs quintus in concilio Viennenſi docuit, Epiſcopos dici ſanctiſſimos, Chriſti legatos exiſtere, ſpirituales eſſe Patres, Pontificis Romani Fratres & Coepiſcopos, columnas Eccleſiæ, cæteraque omnia quæ ſupra attulimus pro dignitate Epiſcoporum. Quæ ſi quis diligenter expendat, nihil mirum erit, ſi hoc facinus ſit grauius vindicatum quod eſt ſceleratius commiſſum. Atque hæc de pœna tam diuina quam humana rebellantium in Epiſcopos, propterea fuſius poſui, vt nemo deinceps ignorātiam prętexat, neue paruum eſſe crimen inobedientiæ huius aut rebellionis putet, propter quod tanta pœna ſit ſancita.

Caput nonum.

Vitia aut ætatem aut cæteras quas allegare ſolent imperfectiones Epiſcoporum, non eſſe iuſtas cauſas rebellandi in eos aut detrectandi obedientiam: ex Origene, Chryſoſtomo, Ignatio.

Manifesta eſt ſententia domini in Euangelio, Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Pharizęi, quęcumque dixerint vobis facite, ſecundum opera vero illorum nolite facere: dicunt enim & nõ faciũt. Quem locũ duo egregij interpretes Origenes & Chryſoſtomus ſic explicant, vt negent peccata prædicatorum aut ſuperiorũ in eccleſia impedire debere quo minus ipſis bona docentibus aut præcipientibus obtemperetur. Sed Origenem vt antiquiorem prius audiamus. Idcirco ſollicite, inquit, caueamus hęreticos qui conuerſationis optimæ ſunt, quorum forte vitam, non tam Deus quam diabolus inſtruxit. Nam quomodo quaſdam illecebras eſcarũ aucupes proponunt vt facilius aues capiãt per oblectamentum gulę, ſic vt audacius dicam eſt quædam caſtitas diaboli, id eſt

Origenes homil. 2, in cap. 16. Ezechielis.

decipula humanę animę, vt per iſtiuſmodi caſtitatē & manſuetudinem & iuſtitiā facilius poſſit capere & falſis ſermonibus irretire. Diuerſis diabolus pugnat inſidijs, vt miſerum perdat hominem, & bonam malis tribuit vitam, ad decipiendos videntes, & malam bonis inijcit conſciētiam. Mihi ipſi qui in Eccleſia prædico laqueos ſæpe tendit vt totam Eccleſiam ex mea conuerſatione confundat. Et ideo plus hi qui ſunt in medio oppugnantur ab inimico, vt per ruinam vnius hominis quæ cęlari non poteſt omnibus ſcandalum fiat, & impediatur fides per conuerſationem peſſimam clericorum. Omnia vt diximus diabolus operatur, & ea quæ videntur eſſe bona nec ſunt, & ea quę per naturam ſuā mala ſunt omnino aduersū humanam commentatur animam, vnde qui curam habet vitæ ſuæ neque manſuetudine hæreticorum capitur ad conſentiendum doctrinæ eorum, neq; meis delictis qui videor in eccleſia prædicare, ſcādalizabitur, ſed ipſum dogma conſiderās & pertractans eccleſiæ fidem, a me quidē auerſabitur, doctrinam vero ſuſcipiet ſecundum pręceptum domini qui ait, Su-

per ca-

per cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcũque vobis dicunt, audite & facite, iuxta opera autẽ illorum nolite facere, dicunt quippe & non faciunt. Iſte ſermo de me eſt qui bona doceo, & cotraria gero, & ſum ſedens ſuper cathedram Moyſi, quaſi Scriba & Phariſæus. Præceptum tibi eſt o popule, ſi non habueris accuſationem doctrinę peſſimę, & alienorum ab Eccleſia dogmatum, cõſpexeris vero meam culpabilem vitam atque peccata, vt non habeas iuxta docentis vitam tuam inſtituere, ſed ea facere quæ loquor. Nullum imitemur, & ſi volumus imitari quempiam, propoſitus eſt nobis ad imitandum Chriſtus Ieſus: deſcripti ſunt Actus Apoſtolorum, & Prophetarũ geſta de ſacris voluminibus agnoſcimus: illud exemplar firmum eſt, illud propoſitum ſolidum, quod qui ſequi cupit ſecurus ingreditur. Si vero quærimus nobis culpabiles ad æmulandum, vt cum dicamus ille docet, & his quæ docet facit ipſe contraria, aduerſus pręceptum domini facimus, qui mandauit doctrinas Magiſtrorum magis conſiderari debere, quam vitas. Hæc Origenes. Similia fere

Hom. 2. in 2. ad Timoth. in moral. expoſitione. habet Chryſoſtomus. Etſi enim malus, inquit, fuerit ſacerdos aliquis, attendit Deus quod ſui gratia illum etiam qui dignus honore non eſt obſequijs foues, ipſeque tibi præmia exoluet. Si enim qui Prophetam in nomine Prophetæ ſuſcipit, mercedem Prophetæ accipiet, profecto & qui cedit & obtemperat ſacerdoti mercede ſua non deſtituetur: Nam ſi vbi de hoſpitalitate agitur tantum vbi quem ſuſcipis ignoras tantum præmiorum accipis: ſi ei ſubijciaris cui imperat Deus non multo magis mercede donaberis? *Math. 23.* Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergò quęcumque dixerint vobis facere, facite, ſecundum opera autē eorum ne faciatis. An ignoras quid ſit ſacerdos? Angelus vtique domini eſt: non ex ſeipſo loquitur, ſi deſpicis non illum deſpicis, ſed Deum qui illū ordinauit. Sed vnde inquies conſtat Deum fuiſſe illius ordinationis authorem? Nempe ſi tu hanc habeas opinionem, ſpes tua inanis facta eſt. Nam ſi nihil per illum operatur Deus, neque lauacrum habes, neq; myſteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris,

non

non ergo Chriſtianus es. Quid , ergo Deus omnes ordinat etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per õnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens,non illorum intuens merita.Nã ſi per Aſinæ os, ſi per Balaam ſceleſtum hominẽ, populi cauſa locutus eſt, multo magis loquitur per ſacerdotem plebis ſuę gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa, quid non loquitur,per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus eſt,& per Prophetas quibus dicturus eſt, Non noui vos, diſcedite a me qui operamini iniquitatem, perque illos qui dæmones in nomine ſuo eiecerunt, non magis per ſacerdotes diuino miniſterio famulantes operabitur? Namque ſi præpoſitorum vitas diſcutere pergimus,ipſi doctores noſtros ordinare contendimus,peruerſoque ordine naturali, quę ſupra ſunt infra eſſe volumus, vt ſuperius pedes, inferius vero ſit caput.Lõgus eſt locus,& hæc ipſa quę iã attulimus ſatis multa ſunt, cæteras eius ſentẽtias in hanc rem prolatas ſummatim quaſi carpam & delibabo. Vnde eſt illa, Si fratrem iudicare non expedit quanto minus magiſtrum?

Numer. 22.

Pſal. 6.

Math. 7.

Numer. 16.

giſtrum? Iterum. Inſurrexerunt aduerſus Aaron poſt vituli formati effigiem Chore, Dathan & Abiron. quid ergo? Nonne illi periere? quilibet quæ ad ſe pertinent ſollicite curet. Nam ſi quidam fidei dogma peruertat, etiāſi Angelus ſit, obaudire noli; ſin vero recta docet, noli vitę ſed verbis intendere. Item. Ouis ipſe es, Paſtorem noli curioſe diſcutere, ne eius quoque criminis reus tenearis, quod illum accuſarę præſumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit quod ipſe non facit? Non tibi ipſe dicit, nam ſi illi obtemperas mercede non priuaris, Chriſtus hæc admonet. Plus aliquid dicam. Ne Paulo quidem obedire oportet, ſi quid dixerit proprium, ſi quid humanum. At debet, inquies, ille eſſe melior quam ego. debet eſſe te melior? niſi ſit melior, teipſum perdis & perimis? Sunt verba iſta plena arrogantię. Vnde enim noſti illum non eſſe te meliorem? Et multis interiectis, audi denique quid dicat. Admonet Paulus, Opus autem ſuum probet vnuſquiſque & tunc in ſemetipſo tantum habebit gloriā & non in altero: Nam dic oro, ſi ſaucius proficiſcaris ad medicum num omiſſa cura

Gal. 6.

ſa cura

ſa cura vulneris tui, ſtudioſe medicũ percũctaris vulnus ille habeat necne? An vero etſi ille ſit ſaucius, vulnus tuum idcirco non curas, dicíſque ſanum illum eſſe oportuit, cum medicus ſit? Quando vero ſanus medicus non eſt abſcedo vulnus meum inſanabile referens. Nunquid enim ſi ſacerdos malus ſit, inde ſolatium capiet ſubditus? Nihil minus. Cęterum dabit ille quidem ſcelerum ſuorum debitas pœnas, dabis autem & tu tuorum criminum pœnas. Cuius ergo rei gratia inquies præſidet? Cur præpoſitus eſt? Ne quęſo doctores noſtros maledictis impetamus, vti ne noſmetipſos potius lædamus. Noſtra vt dixi õnia diſcutiamus, & neminem penitus maledicemus. Reuereamur diem illam, qua illuminati ab illis ſumus. Patrẽ qui habet & ſi mille patiatur incommoda, omnia patris reuerẽtia conteget. Noli enim, inquit, gloriari in ignominia patris tui, neque enim tibi tam gloria, quam probrum eſt. Etſi enim ſenſum amiſerit, veniã habe. Longe hæc magis in Patre ſpirituali dicẽda ſunt: Reuerere illum quod tibi diebus ſingulis diuina miniſtrat, ſcripturas relegi facit, tui *Eccleſiaſt.* 3.

gratia

gratia exornat domũ, propter te vigilat, propter te vota perſoluit, pro te Deum precaturus adſtat, tui cauſa preces exoluit, pro te apud illum religio, cultuſq; & obſequium eſt, pro te iſta omnia, & cætera ibi permulta. Quę omnia ſi quis attente conſideret, iſtud peſtiferum & virulentum linguæ malum quod recte γλωσσαλγίαν nominare poſſumus, qua in ſuperiores facile debacchamur, eorumque vitia & errata curioſius intuemur refrenabit parũper & moderabitur. At iuuenes inquies Pręlati & Epiſcopi, nobis ſæpenumero pręficiuntur. Quaſi vero non & vos ſenes æque atque iuuenes Epiſcopos contemnatis. Sed & demus ita eſſe, An nunc ſolum Epiſcopi aut ſuperiores iuuenes eſſe cęperunt? An non ſpiritus vbi vult ſpirat, aut iuuenes olim non fuerint Epiſcopi, & rectores qui pręclare & ſumma cũ laude, muneribus ſuis functi ſunt? *Ignatius in ep. ad Magneſianos.* Ignatius ille quem ſæpe iam antea commemorauimus cum eſſet Magneſianis iuuenis quidam Epiſcopus Damas, ad eos ſcribẽs, vos quoque, inquit, decet nõ contemnere ętatem Epiſcopi, ſed ſecundum ſententiam Dei Patris omnem ei venera-

venerationem exhibere, quemadmodum etiam cognoui ſanctos presbyteros deferre, non ad iuuentutem quæ in eo apparet reſpicientes, ſed ad eam quam in Deo habet prudentiam: quandoquidem non qui diu vixerunt ij continuo ſapientes, nec qui ſenes prudentia pręditi ſunt, ſed ſpiritus qui in hominibus præditus eſt. Dañiel enim ſapiens 12. annos natus, ſpiritu Dei afflatus eſt, & illos fruſtra canitiem geſtantes ſenes calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores conuicit. Samuel vero cum eſſet paruus puerulus ſeu puellus Nonagenarium Heli ſacerdotem redarguit, qui Deo præpoſuiſſet filios. Similiter & Hieremias audit a Deo: Noli dicere quia iuuenis ſum ego. Salomon quoque & Ioſias, ille anno ætatis ſuæ duodecimo, regnum adeptus, terribile illud & ad dijudicandum arduum de mulieribus pro filijs iudicium fecit. Hic rerum potitus ętatis ſuę ãno octauo, aras & templa ſubuertit, & lucos ſuccendit, qui dęmonibus erant non autem Deo cõſecrati. Falſos quoque ſacerdotes trucidauit, vt corruptores & ſeductores hominum, nõ diuinitatis cultores. Quocirca

Danielis 12.

1. *Reg.* 1.

circa non eſt iuuentus contemnēda, cùm Deo conſecrata fuerit, ſed qui mente ac iudicio prauus, etiamſi cònſenuerit dierum malorum eſt. Iuuenis erat Timotheus ille Chriſtiferus, at audite quid ei Magiſter ſcribat, Nemo tuam iuuentutē contemnat, ſed forma eſto fidelium in verbo, in conuerſatione. Decet ergo vos quoque veſtro Epiſcopo obedire, & in nullo contradicere, Sed ſatis ſit. Quem enim iſta tam clara & tam perſpicua tātorum authorum teſtimonia non ad obediendum Epiſcopis ſuis quamtumuis alioqui malis, & parum rectè ad Euangelij normam viuentibus, non permouerint, neque ſi plura ſimilia in hanc rem adferrem permouerent.

Apoſtrophe ad Populum Cameracenſem, qua hortatur eos ad pœnitentiam & conſiderationem ſuorum facinorum.

LICEAT mihi nunc ciues Cameracēſes quibus verbis Appium Claudium & Senem & cœcum ſcribit Ennius Senatum P. Q. R. ſimulatque illos inclinari ad turpem cum Pyrrho pacem faciendam ſenſit, allocutum eſſe, iiſdem vos ab hoc

tam

tam fœdo & exitiali ſchiſmate ac ſacrilegi, in Archiepiſcopum veſtrum dehortari.

Quo vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant Ennius.
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

Quam late enim orbis Chriſtianus patet, tam late olim Cameracenſium gloria, in Catholica fide conſtantia & in ſuos Archiepiſcopos pietas ac obſeruantia celebrari ſolet. Quis ergo vos nunc Satanicus furor vel quæ dementia præcipites egit, vt obliti priſtinę gloriæ & celebritatis nominis veſtri, vos vltro huic ſacrilego ſchiſmati ac perfidę rebellioni conſtringendos detis? An forte illum lucul ẽtum ordinem nuper oratione mea deſcriptum, quem Deus omnium rerum parens, in ſuis paſſim operibus interſperſit parum animaduertitis? Quaſi quis illum qui in omnium pęne oculos atque animos incurrit niſi aut plane cœcus & mentis inops ignorare poſſit. An veteris illius Synagogæ in omnibus ſuis membris, ſed maxime in his qui tabernaculo deſeruiebant pulcherrimam formam & effigiem quę etiam lippis, & tonſoribus, (vt aiunt) nota eſt, non perſpexeratis? vel

vel hoc tam illuſtre Regnum, hanc domũ tam ſcite fabricatam, hanc ciuitatem ſupra montem poſitam, hanc caſtrorum aciem ordinatiſſimam & inſtructiſſimam gubernatoribus, rectoribus, ac ducibus ſuis ſpoliaſſe, hanc nauem ſuis proretis, hoc corpus præcipuis ſuis membris ac partibus deſtituiſſe, paruumne vobis facinus eſſe videtur? Quis autẽ (per Deum immortalem vos rogo) aut ordo in terris ſublimior, aut ſtatus ac dignitas excelſior Epiſcoporum eſſe poteſt? quem ſupra auri fulgorem, ſupra regalem purpuram antea collocauimus; quos non modo Apoſtolorum in locum ſuccedere, ſed Chriſti domini vice fungi in terris liquido commonſtrauimus, quos Imperatores vt ſupra oſtẽdimus, barbari, Alexander & Attila, quos Chriſtianiſſimi quiq; & fortiſſimi, Conſtantinus Magnus, Valentinianus & Theodoſius vterque cognomento Senior, quos populus Mediolanẽſis, Romanus, Conſtantinopolitanus, Samoſatenus tanto in pretio & honore habuerunt, vt eorum dictis obaudire, illis capita & ceruices ſuas ſubmittere, pro eis etiam mortem oppetere parati fuerint, quos vt parentes

parentes ſuos ſpirituales, vt Angelos Dei exercituũ, vt ductores & duces ſuos ad ſalutẽ venerati ſunt. Quaſi vero Epiſcopum qui abdicat nõ Chriſtũ ipſum qui hũc ordinem inſtituit abdicet; Chriſtum autem qui abijcit, non ſalutem quoque ſuam & aliorum contemnere neceſſe ſit. Et quia Epiſcopus & verus Põtifex pontem ſe facit inter populum & Deum, hinc illorum vota & petitiones ad Deum ferens, illinc Dei gratiam & omnia dona populo referẽs, qui ipſum ablegatum cupit, is in Deũ ſimul & proximum peccat. Quod ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus, ſi autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Quamquàm ne ipſum quidem hoc peccatum in proximũ leue aut contemnendum iudicari poſſit, quod eum ſpiritualibus ſuis parentibus & neceſſarijs remedijs ad ſalutem orbat. Nam ſi Epiſcopi nulli ſint, nec ſacerdotes breui tempore vlli futuri ſunt, ſacerdotibus autem nullis exiſtentibus, quid inter homines & belluas intereſſe cenſendum eſt? Quis enim præter Epiſcopum, eos qui ſunt futuri Patres ſpirituales populi generabit? Quis hoc tam calamitoſo tẽpore

1. Regum 2. cap.

Epiphanius in hæreſi 42.

pore

pore vacillantes ac dubios in fide confirmabit? Quis diſciplinam eccleſiaſticam conſeruabit ſaluam & incolumem? Quis illud ſacramẽtum in quo datur plenitudo Spiritus Sancti, & per quod homines perfecti efficiũtur Chriſtiani, adminiſtrabit? His argumẽtis ſi cum hęreticis agerẽ qui iſta omnia rident & contemnunt, nullo modo vti vellẽ, ſed apud populũ Cameracenſem de Catholica fide adhuc meliuſcule ſentientem verba facio. Quamquam fruſtra ille in eccleſia ſe Catholicum & Chriſtianum eſſe profitetur qui contra Chriſti miniſtros non quoſuis ſed eos quos conſtituit dominus ſuper familiam ſuam vt det illis in tẽpore tritici mẽſuram arma ſumit. Quis enim audeat iudicare alienos ſeruos, & tales ſeruos quos fecit Deus iudices aliorum? Domino ſuo ſtãt aut caduut, ſtabunt autem, potens eſt enĩm Dominus ſtatuere eos. Quanto vero hoc vobis vertetur dedecori quod a Cypriano olim obſeruatum fuit vt cum apes habent Regem, & Ducem pecudes, & fidem ſeruant latrones, mancipi obſequio pleno humilitatis obtemperant, ſimpliciores & humiliores ſunt vobis brutæ pecudes

Rom. 14.

Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. ad Florentium Puppianum.

pecudes,& bruta animalia,& cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones? Præpoſitus illic agnoſcitur ac timetur, quem non ſententia diuina conſtituit, ſed in quem factio perdita & nocẽs caterua conſenſit; vos vero Præpoſitum & Epiſcopum veſtrum a Deo ordinatum & in ſpecula ſui gregis conſtitutum ab ouili dominico arcere & expellere auſi fueritis? Videte quęſo quid poſt hoc tempus, quo in Epiſcopum hunc & Parentem veſtrum coniuraſtis ſit conſequutum. Quanta vos vndique circunſtet miſeria, qui luctus, qui tota vrbe clamores exauditi fuerint, quę vaſtitas domorum, quæ depopulatio agrorum, quæ deprædatio honeſtiſſimorum ciuium vbique cernatur. Eſtne aliquis veſtrum Paterfamilias amplius in domo ſua liber, in Senatu ſententiam ne quiſquam dicit vt vult? in foro quis præsẽte tali milite hiſcere aut mutire audeat? Cedo qui veſtram Rempub. tantam tam cito perdidiſtis? reſpondebo & ego pro vobis vt eſt in Næuij ludo,

Prouenìebant oratores noui, ſtulti adoleſcẽtuli. Næuius.

Iuuenile conſilium, & ſeditioſorum hominum ſẽtẽtiam ſequuti eſtis, ſenum

O &ſa-

& ſacerdotum reſpuiſtis. Quid dico reſpuiſtis,cum eos qui vobis recte conſuluerunt,ignominioſe ex ciuitate eieciſtis?Ex quibus, vt de aliarum eccleſiarum Beatæ Virginis, & Sanctæ Crucis canonicis taceam, quorum permulti non minus fortes & conſtantes vbi eadem ab illis profeſſio exigeretur,fuerunt;de meis collegis S. Gaugerici illa hoc loco ponam, quæ poſt diſceſſum meum contigerunt veſtrãque crudelitatem & ſæuitiam coarguunt, illorum autem gloriam mirifice commendant. Nonne igitur meminiſtis illius funeſtæ diei cum citati vt in arce quaſi in Capitolio de rebus grauibus deliberaturi cõparerent õnes Eccleſiæ Diui Guagerici Canonici,rogatique vt voluntati Principis coniurationis veſtrę ſubſcriberent,negantes ſe Regis Hiſpaniæ Protectoris ſui, aut Epiſcopi ac domini ſui partes deſerturos, omnes quotquot conuenerant(erant autem octodecim numero, nam quidam dolum vel ſuſpicati vel pro certo ſubeſſe admoniti, de induſtria domi ſuæ delituerunt) per poſticum in exiliũ acti ſint nec cuiquam eorum permiſſum ſit domum redire tãtiſper quoad vel viaticum ſibi cõpararet,

pararet, vel veſtitum breuiorem aſſumeret? Ex quibus quidam octogenarij ſenes, alij pedibus non ſatis firmi, vnus vero qui a multis annis ne ad templum quidem niſi duobus fulcris innixus aut equo vectus incedere potuit. Quid hoc facto impudentius, quid crudelius aut inhumanius vnquam excogitari poſſet, quam homines tales, & tam multos eccleſiaſticos præſertim vel eo ſolo nomine quod ab officio & fide diſcedere noluerunt, tanta cum ſæuitia & tam turpiter dimittere? hoc eſt illud quod dici ſolet, qui ſemel verecũdiæ limites tranſilierit eum bene & nauiter impudentem eſſe oportet: quodque Hieronymus quodam in loco aſſeruit, maleuolentiam & liuorem nutrire impudentiam. Ex eadem animi feritate & truculentia fuit quod ſacerdotem quendam captum & in vincula coniectum, abſque ylla ordinis ſacri & ſacerdotij ſui reuerentia ſuſpenderitis, cũ & leges eccleſiaſticæ, & ciuiles prohibeant non prius ad necem alicuius ſacerdotis procedere quam ab Epiſcopo degradatus & poteſtati ſeculari traditus ſit. Quanto hoc mitius apud Anglos bonis temporibus inoleuit, vt ſacerdoti vel

Hieron. lib. 3. Commẽt. in Matth. c. 22.

Polydorus Virgilius lib. 26 hiſt. Anglicanæ.

de Maieſtate vt Polydorus Virgilius teſtatur, damnato alijſue ſontibus qui reliquis initiati ſunt ordinibus vita concedatur, apud quos & ita vſuuenit, vt qui legere ſciunt cuiuſuis rei capitalis præter maieſtatis crimen eodem loco habeātur, quod per id ordinis affines cenſeantur, atque ita ſalui in cuſtodiam detrudantur. Cuius rei in Henrico ſeptimo experimentum editum fuiſſe idem author ſcribit, qui Monachum quendam quod Pſeudoregem contra ipſum ficto illuſtris cuiuſdam familię ac ementito titulo erigere tentaſſet comprehenſum, neci non tradidit, ſed in carcere captiuum detinuit. Sed apud vos iura omnia & diuina & humana obſoleuiſſe videntur: Quorum ſi omnium culpam in illum cōiurationis veſtræ Principem & milites eius conijciatis, quis neſcit huic vos eſſe profeſſos per omnia obſequi, eius voluntati parere & iuſſis obedire? Nam quæ alia cauſa fuit cur alij præſtantiſſimi ciues & ſacerdotes qui hoc pactum cum ipſo inire noluerunt amiſſis bonis omnibus, & Patria exulare ſint coacti, vos interim ciuitate & rebus veſtris potiti ſitis? Vos enim facultatem ei iſta facien-

di

di præbuiſtis, vos ei quaſi portas ciuitatis veſtrę aperuiſtis, vos arma quibus Epiſcopum veſtrum & dominum eſt perſequutus in manus dediſtis. Hæc ille ſolus efficere non potuiſſet, ſine auxilio veſtro & fauore. Et vbinã quæſo ſunt iam illæ delitiæ veſtræ? ille Deus veſter, quem Imperatori, quem Regi, quem Archiepiſcopo & Duci veſtro, quem ipſi Chriſto prætuliſtis? Nonne mortalis erat? Nonne mortuus eſt? Nonne vltio diuina non permiſit illum diutius viuere qui ſic in Parentem ſuum ſpiritualem, in Epiſcopum ac Deum ipſum conſpirauit? Vbi ſunt illi commilitones eius & impijſſimę coniurationis ſocij, ad prædam quam ad pugnam & ad abigendas vaccas, quam ad feriẽdum hoſtem fortiores? Confuſi ſunt, commoti ſunt, conturbati ſunt, tremor apprehendit eos, non vt illos nouem fratres apud Auguſtinum membrorum corporis, propter maledictionem matris, ſed animi timor & conſcientiæ carnificina, propter maledictionem Dei Patris, quorum multi iam mortui & interfecti, ſine pœnitentia ex hac vita in ſceleribus ſuis deceſſerunt, alij ad ſempiternam illorum ignominiam & *Lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 18.*

familiæ ſuæ dedecus reſeruantur ad pœnam, ex quibus vnus vt audio totius huius rebellionis in Archiepiſcopum ſuum ac dominum, artifex & adminiſter, cum tuto redire domum cogitaret a noſtris interceptus eſt, pœnas fortaſſis pro ſua impietate luiturus, qui ſatis profecto ſuauitér nauigaſſet ſi gratia Dei eum protexiſſet, ſed in miſerum inſultare nolo. Agnoſcite igitur tandem Cameracenſes in his omnibus mirabilem Dei prouidentiam, eiuſque iuſtum iudicium attendite & reſipiſcite. Nam ille primarius proditor & totius coniurationis caput, cum eſſet bono agmine militum comitatus, ab vno ſolo homine ictus & interfectus, idq; non forte & temere, ſed diuino nutu & voluntate nullo alio præter hunc ipſum cæſo aut læſo, tum cum furioſus & amens & quaſi de hoſte ſecurus, huc illucque ouaps vagaretur, nonne aperte ſenſit in ſe diuinam manum & vltionem fuiſſe diſtrictam? Hi ſunt dij veſtri Cameracenſes, hos Patronos, & Protectores habuiſtis, quibus ſi Dei iuſtitia non pepercit, ſed eos in media pompa ſua vel extinxit, vel in hoſtium ſuorum manus dedit, metuendum certe

certe eſt ne forte & vobis non parcat, vt quos authores in culpa habuiſtis eiſdem niſi mature pœniteat ſitis ſocij in pœnis. Sed Iureiurando dicet aliquis obſtricti tenemur, quominus ab his partibus quas ſequuti ſumus reſiliamus, quaſi vero Herodes illo Iureiurando quod ſaltatriculę fecerat, vllo modo obligatus erat, ac nō potius & iurando grauiter peccauit & Iuramentū pariter obſeruando, Hoc eſt enim excolare culicē & camelū glutire, paruam de magnis, & magnam de minimis aut etiam nullis conſcientiam habere, impij videlicet Iuramenti religione teneri, & veræ obedientię quam erga ſuperiores legitimos debetis, nullam rationem facere. Ad Iuramentum enim veſtrum quod attinet, reſpōdebo idem quod vir quidā pius, circiter mille hinc annis, rogatus a quodam, vt fratrem ſuum ſibi offenſum reconciliaret, cum illi locutus fuiſſet, eumque initio parum flexiſſet ad concordiam & charitatem, poſt vero tergiuerſanti ac neganti ſe poſſe reconciliari quia iuraſſet per crucem non amplius cum illo redire in gratiam, hoc audito reſpondit ſubridens: Iuramentum tuum talem habet vim ac ſi

Marci 14.

Matth. 23.

Ioānes Eniratus in tracto ſuo ſpirituali, capite 216. quod hactenus ſub Sophronij comitis ſui nomine editum erat.

dixiſſes per precioſam crucem tuam Chriſte, nō obſeruabo mandata tua, ſed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non ſolum enim non debemus ea ſeruare quæ a nobis peſſime definita fuerint, ſed etiam maxime pœnitentiam agere & affligi in his quæ contra noſtram ſalutem definiuimus. Nam ſi Herodes pœnitentiam egiſſet, neque iuſiurandum quod ſtulte emiſerat ſeruaſſet, nunquam profectò maximum illud ſcelus admiſiſſet, vt præcurſorem Chriſti capite truncaret: hæc ille. Iſtam igitur pœnitentiam viri Cameracēſes cur non adhuc dum tempus eſt, dum viuitis & valetis, dum in memoria recenti ſunt peccata veſtra, dum admitti confeſſio & pœnitentia veſtra poteſt, dum Eccleſia tamquam pia mater, Epiſcopus veluti amantiſſimus Pater, Deus tanquam totius bonitatis & miſericordię fons, vos parati ſint reuertentes in ſinum, gremium & cōplexum ſuum recipere, ſerio & ex animo agitis? Si dolere vos dicitis & animo angi, cur igitur in eadem adhuc damnatione perſeueratis? cur impiam factionem non deſeritis? Si pœnitēs

Aug. hom. 41. ex 50. es (inquit Auguſtinus) pœniteat te, ſi pœnitet

nitet te, noli facere, ſi adhuc facis pœnitẽs non es. Et Diuus Bernardus; Irriſor eſt, & non pœnitẽs, inquit, qui adhuc agit quod pœniteat. Cuius viri conſilium quia longe vobis ſaluberrimum eſt, & commodiſſimum, ex alio loco repetã, vbi Fugite, inquit, de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras, & volate ad vrbes refugij, vbi poſſitis & de pręteritis agere pœnitentiã, & in præſenti obtinere gratiam, & futurã gloriam fiducialiter præſtolari. Non vos retardet conſcientia peccatorum: quia vbi illa abundauerunt, ſuperabundare conſueuit & gratia, non pœnitentiæ auſteritas ipſa deterreat, Nec enim condignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam & præteritam culpam quę remittitur, nec ad præſentis gratiam conſolationis quæ immittitur, nec ad futuram gloriam quę promittitur. Denique nulla eſt tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non ſapidam reddat ſapientia, lignum vitæ. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquieſcite plurimorum, currunt vndique peccatores ad pœnitentiam, & natura pariter & conſuetudine delicati exteriorem omni-

Bernardus de modo bene viuendi ad ſororem.

Idem Bernardus ſerm. 3. de conuerſione clericorum.

omnino aſperitatem non reputant vt exaſperatæ conſcientiæ leniantur; nihil credentibus impoſſibile, nihil amantibus difficile, nihil aſperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fit in auxilium, & obedientis deuotio lenit imperium: Hæc Bernardus; cuius ſi verba vt ab homine profecta vos minus moueāt, moueat ſaltem conſilium Sapiē-

Eccleſiaſtici cap. 17. tis, qui idem ipſum ſuadet. Conuertere, inquiens, ad dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem domini & minue offendicula, Reuertere ad dominum, & auertere ab iniuſtitia tua & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis altiſſimi Dei. In partes vade ſeculi ſancti, cum viuis & dantibus confeſſionem Deo. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere, a mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confitęberis viuens, & ſanus confiteberis & laudabis Deum & gloriaberis in miſerationibus illius. Quam magna miſericordia domini & propitiatio illius conuertentibus ad ſe! Hæ igitur voces quę non humano ſed diuino ſpiritu pronuntiatæ ſunt, ad veram & per-

& perfectam pœnitentiam toto pectore atque omnibus viribus agendã, ad fugiendum non ſolum peccata, ſed omnes illecebras, offendicula, & occaſiones peccandi vos impellant, & tum demum ſperet vnuſquiſque veſtrum ſe miſericordiam conſecuturum a Domino ſi prius miſereatur animę ſuę placens Deo. Præſtante miſericordia & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu Sãcto, ſit laus & gloria in omnem æternitatem, Amen.

FINIS.

Liber hic de Authoritate Epiſcopali ſcriptus, cum ſuis Præfatione, & Peroratione, non ſolum antiquitatis Catholicæ inſignia ſubminiſtrat, ſed, vt frequenter in filiorum Eccleſiæ manibus verſetur, dignus eſt. Ita teſtor

Petrus Colpin Duacenus, Sacrę Theologiæ Doctor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLLOQVIVM EIVSDEM AVTHORIS CVM D. D'INCY PRINCIPE CONIVRATIONIS CAMERACENSIS habitum in ipſa arce Cameracenſi.

BIBLIOT. R. VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO.

CVM ante triennium ex caſtro Cameracenſi, vbi captiuus aliquot hebdomadis detinebar liberatus, ſcripſiſſem ad eos quorum intererat iſta ſcire, totam captiuitatis meę hiſtoriam, ex quibus vt mihi ſignificatum eſt, multi viri primarij iudicabant literas meas prælo committendas eſſe, ſequutus tamen cõſilium Reuerendi Patris Arnoldi Ganthois Abbatis Marchianenſis, cuius memoria in benedictione eſt, ſuppreſsi hactenus quæ ſcripſeram, non

non quia veritus ſum ne mihi nocerent, (quid enim amplius nocere poſſent homini diuina prouidẽtia ex eorum manibus erepto? cui & hoc beneficij contulerunt, quo nullum maius a latronibus accipi potuit, nimirum vt cum vitam adimere potuiſſent, ſaluum abire permiſerint) ſed ne alijs amicis meis tanquam irritati crabrones propter hoc ipſum infeſtiores eſſent. Nunc cum cætera eiuſdem argumenti & ſententiæ in publicum edo, & hæc quoque ſimul edẽda cenſui. In quibus nolui ita eſſe curioſus vt formã litterarum mearum quas tum extempore & vt mihi omnia in mentem venerunt impolite ſcripſi, mutarem ne quoſdam delicatos nimis moleſta & frequenti iteratione horũ verborum inquã & inquit ſuboffen-

offenderem, ſed eodem plane modo expreſsi quo rem inter nos geſtã fuiſſe meminiſſe potui. In quib⁹ me nihil affinxiſſe teſtis eſſe poteſt quidam qui colloquio huic interfuit, & cuius pars magna fuit, qui nunc diuino beneficio in manus noſtrorum incidit. Teſtes erũt & optimi quique ciues Cameracẽſes, atq; alij noſtri ordinis homines permulti, qui cum mihi de liberatione mea gratulaturi veniſſent, õnia eodem prorſus ordine quo hic narrantur ex ore meo audiuerunt. Qua in re ſi quis miretur mihi tantum animorum & audacię fuiſſe, vt in tali loco corã tali tyranno, in tali cauſa, tam præſenti memoria, tam conſtanter & confidenter verba facerẽ, meminerit & ille quid Dominus in Euãgelio ſuis promiſit dicẽs,
Cum

Math. 10. Cum autem tradent vos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, Itē: Ego dabo vobis os & ſapientiā: Et ita plane res erat. Nā qui vel apud infimos homines, & in rebus plerūque minimis verecundior & timidior eſſe ſoleo, hic ſenſi mihi & vires & libertatem qualē vix optare potui adfuiſſe. De quibus ſi me vēditare apud homines vellem, inanis & ſtultus eſſem, quaſi neſcirem ab Apoſtolo ſcriptū eſſe, vt qui gloriatur in dño glorietur: & a D. Cypriano, In nullo gloriandū eſſe quia noſtrum nihil eſt. Quibus quaſi prę́fationis loco poſitis ad prę́ſentem narrationem me accingā. Res igitur ſicut meminiſſe poſſum inter nos acta ſic eſt.

Luca 21.

1. Cor. 10.

Cyprianus lib. 3. ad Quirinum.

COLLO-

COLLOQVIVM AVCTORIS cum D. D'Incy.

CVM INTER REGEM CAtholicum & quaſdam eius Prouincias quę ſecutæ turbam ad faciendum malum ab eius obedientia defecerāt, tractari de incunda aliqua pace et cōcordia, re omnium maxime his temporibus neceſſaria audiuiſſem. Ad eamq; nonnullos adhuc hærere & ſubſiſtere animaduerterem, cepi mecum cogitare in tanto periculo fidei Catholicæ amittendæ quantum tunc eſſe videbatur in his partibus, an rationes aliquas excogitare poſſem, quibus probarem pacem, quibuſuis conditionibus cum Rege Catholico eſſe faciendam. Qua in re cum ſatis exquiſite ratiunculas aliquot bene vt nonnullis videbatur firmas collegiſſem, eaſque hominibus doctis & accurato iudicio præditis oſtendiſſem, tandem vt ab illis meam in hac re operam probatam vidi, cupiui illas quibuſdam familiaribus amicis domini D'Incy, qui fraude & malis artibus arcem Cameracenſem inuaſerat, obtrudere, vt il-

li ſi ita eis viſum eſſet ea ſuo tempore ipſi qui adhuc abalienatꝰ a Rege fuit exhiberent & oſtenderent. Qui quia parum aut curarunt hoc negotium aut non auderent coram eo his de rebus tractare, vbi hoc malum ſerpere longius perſpexi, addidi præfationem, qua docui omnes feras beſtias & homines ſilueſtres ſeditioſos quoſlibet & rebelles quandam pacem optare, ſed non eſſe veram & Chriſtianam pacem, niſi vbi eſt ordinata cõcordia ciuium, vt ſcilicet omnes ſuis ſuperioribus certo ordine obtemperarent, anima Deo, corpus animę, vxor marito, ciuis Magiſtratui, ſubditus Regi & Epiſcopo ſuo obediret. Et quia a multis acceperam eundem Dominum d'Incy arbitrari ſibi licere cum Principe Auraico fœdus habere cõtra Regem & alios proceres Catholicos, non ſecus quam Imperator & Rex Catholicus interdum opera infidelium militum in ſuis bellis vtuntur, addidi & aliud caput, quo liquido oſtendi cum Principe hæretico & perſecutore eccleſiæ fœdus nullo modo Catholico eſſe faciendũ. Quę tandem ita a me aucta & elaborata cuidam ex amicis familiariſſimis Domini

d'Incy

d'Incy oſtendi. Quem obnixe ſum deprecatus vt pro pace ſe interponeret, alioqui omnia breui Cameraci non ſecus atque alijs in locis peritura. Ille vero libenter argumenta pacis me legentem audiens, reſpondit, illa ſibi minime fuiſſe neceſſaria. Tum ego, credo vero inquam, ſed ea cupio per D. T. oſtendi domino d'Incy, apud quẽ ſcio te aliquo loco eſſe, & ſimul ſi forte aliqua contractiuncula inter te & R. D. N. ſit, eam ſpero te pro bono pacis depoſiturum. Præſertim cum ille Archiepiſcopus & Dominus ſit, tu vero ſubditus. Tum ille de contractiuncula, inquit, teſtor Deum, non reſidere in animo meo tantum ſimultatis & odij aduerſus eum vt me iure poſſit impedire a celebrãdo ſacro. Quo audito, veniamus ergo inquam ad pacem. Quod ſi D.T. vellet eum parumper flectere, ego viciſſim non dubitarem quin apud Reuerendos quoſdam Prælatos efficerem vt ipſi negotium hoc ex altera parte in aula promouerent. Vbi ille ſtatim de quodam R. Prælato percunctatus vbi nam locorum ageret, dixi me neſcire, daturum tamen omnem operam vt vbi vbi eſſet inuenirem. Ergo, inquit, il-

lum quamprimum adibis, perque eum efficies ſiue per quem alium vt litteræ ſcribantur a concilio Regio, quam humaniſſime ad Capitulum noſtrum (erat enim vir non minimæ auctoritatis in Eccleſia B. Virginis) & vna ad Scabinos ciuitatis, quibus nos hortentur vt velimus ſaltem amice cum eis de pace colloqui, ad eamque rem accepta fide libere comeandi ex vtroque corpore tam Capituli quam ciuitatis legatos mittamus. Quod vbi fecerint, ego, inquit, per meos facile agam vt nomine Capituli noſtri (facultate prius accepta a Domino d'Incy his de rebus communicandi) legatione iſta fungar, ſperoque me certas quaſdam conditiones illis propoſiturum quibus vt arbitror dominus d'Incy non refragabitur. Sed mature facto opus eſt. Cui ego ſpopondi me ſequenti mane (Nam hæc veſperi bene ſero acta ſunt) perrecturum. Profectus igitur non recto itinere Valẽcenas, neque enim potui eo quod õnia eſſent impedita, cum ibi non inuenirem R. illum Patrem quem quærebã qui cauſam hanc deputatis concilij commendaret vno illic die hæſi, vt reditum eius expectarem, poſt Montes

tes vſque excurri & acceptis ab eo litteris cõmendatitijs, facile obtinui in aula quod petebam, atque ita per anfractus viarum decimo demum die Cameracum ſum reuerſus. Quid multa? retuli eidem cuius ſuaſu & conſilio ſum profectus me impetraſſe vt tales litteræ ſcriberentur quales petierat, eaſque breui poſt tempore adfuturas: Ille autem ſuſpicioſe nimium, nonne, inquit, communicaſti hoc negotium cum Reuerendiſſimo D. N? (Nã hic tum Querceti manſit) Minime vero, inquam. Cur igitur, inquit, tam diu abfuiſti? Reſpondi me coactum vno die expectare reditum illius Prælati, qui cum non rediret ad ciuitatem Montenſem eius conueniẽdi cauſa perrexiſſe, tum propter pericula itinerum non licuiſſe mihi aut rectà Valencenas ire, aut inde redire. Vidi igitur & ex hominis ſermone & ex vultu omnia eſſe immutata, tum quia ſuſpicio quędam illorum animis iniecta erat, me cum illuſtriſſimo D. N. Cameracenſi negotium hoc communicaſſe, cui minime omnium voluerunt concilia ſua eſſe patefacta, tum quia milites Regij Cameraceſij fines interea dum abeſſem inuaſerant & prædas

abduxerant, tum etiam quia litteras quaſdam vt ille mihi tum memorauit intercęperant quæ illorum animos a pacis ſtudio magis abalienarent. Re tamen nonnihil diſſimulata vbi litterę, inquit, appulerint, videbimus quid facto opus ſit, quia abſque facultate D. d'Incy nihil aut tentare aut efficere poſſumus: Poſtero die hic idē per famulum ſuum curauit me vocari in arcē, vt apud ipſum D. d'Incy eo pręſente cauſā dicerem. Vbi primū interrogatus quis me ad hanc profectionem inſtigaſſet, Reſpondi partim conſilio illius qui tum aderat hoc factum eſſe, ſed primum mea ſponte, & ex zelo quodam erga patriā Cameracenſem, me illum acceſſiſſe vt ad cauſam pacis agendam impellerem. Non, inquit, D. d'Incy exiſtimo a te hoc eſſe profectum, cum ſis homo priuatus, Cum pacis inquam cauſa ſit communis non puto alienum eſſe a cuiuſquam priuato officio pro illa agere, videbam enim nulli hominum hanc rem damno aut fraudi eſſe poſſe. Et fieri poteſt vt zelus hac in parte fuerit cæcus ac indiſcretus, ſed perficiendi modus facillimus videbatur. Erat enim poſitus in hoc homine quem noueram tibi eſſe

bi eſſe familiariſſimum & in nõnullis Reuerendis Patribus qui apud Senatum Regium authoritate & gratia valebant. Quã ergo, inquit, quæſo pacem vis? Chriſtianam dixi, qua certo quodam ordine inferiores ſubditi ſint ſuperioribus, vt primũ Deo, poſtea Pontifici Romano, Regibus ac epiſcopis ſuis obediant. Eſt enim pax, vt ait Auguſt. ordinata concordia ciuium. Ordo vero eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. At nos ait pacem volumus generalem, vos particularem, quæ eſt peſtis potius quam pax. Pax inquam generalis potius optanda eſſet ſi fieri vllo modo poſſet, ſed ea nũquã fiet Principe Auraico ſuperſtite, & habenas Imperij tenẽte, niſi admiſſa omniũ ſectarum communione ſeu libera, vt aiũt, religione, quod non licet. Non puto autẽ D. Tuam cum ipſo fœdus vllum habere. Imo, inquit, habeo. At hoc ipſum inquam tibi nullo pacto licet ſi Catholicus es, ſicut omnes te eſſe exiſtimamus, quia cum non ſit ſolum hæreticus, ſed perſecutor Eccleſię, tibi ſi filius Eccleſiæ eſſe vis non eſt fas cum illo fœdus inire, cum verba fœderis veſtri ſic habeant, ero amicus amicorum,

& inimicus inimicorum. Cum ergo ipſe ſit Eccleſiæ Dei hoſtis tu quoque matris tuæ Eccleſię hoſtem te fore profiteris. Ego, inquit, hęreticum illum eſſe credo, ſed ſi mihi beneficium præſtet eſt meus proximus, vt ille Samaritanus in Euangelio alienigena & hæreticus in lege veteri magis erat proximus & amicus homini vulnerato in via, quā aut Leuita aut Sacerdos, qui nullo ei beneficio præſtito trāſierunt. Hoc inquam exemplum non eſt commodum, quia Principis huius omnia beneficia ſunt maleficia, non enim tibi beneficium prẹſtat niſi vt te a recta in Deum fide aut vera in Regem tuū obediētia abducat. Vos, inquit, eſtis ſanguinarij quia bellum vultis nō pacem. Ego inquiebam vt vides quæro pacem. At vultis, inquit, nos bellare contra hæreticos & Principem Auraicum: nominauit enim mihi duos magnæ auctoritatis viros qui in hac re perſuadēda ſoleant in conuentibus ſtatuum eſſe vehemētes, quod alienum eſt, inquit, ab officio Eccleſiaſticorum. Non eſt inquam alienū hortari ad iuſtum bellum præſertim contra Dei hoſtes & Hęreticos, cum Auguſtinus ipſe ad Bonifacium Comtem ſcribēs;

arripe

arripe ait manibus arma etc. At quando, inquit, vnquam audiuiſti vllam hęreſim vi armorum eſſe deletam? Non legi inquam vllam hæreſim extinctam niſi ferro & flã-ma & potẽtia armorum. Nomina, inquit, mihi vnam. Albigenſium dico in Gallia: Eſt vna tantum, inquit. Vvicłefiſtarum etiam in Anglia. At de Arriana hæreſi quid ais? Et illius inquam reliquię tandem armis Caroli Magni extirpatæ ſunt. Deinde accedit hoc hæreſi Lutheri qui negauit bellum contra Turcas eſſe gerendum, poſt quem omnes ſectarij negant hæreticos eſſe puniendos: Quod D. Auguſtinus cum aliquando ſenſiſſet poſtea retractauit ſententiam, docens experimẽto compertum eſſe, plures reſipuiſſe ex timorę quam pudore ac liberalitate. Sed quid, inquit, quęſo mali eſſet hęreſes permittere? Plus inquam quã eſt permittere peſtem in ciuitate libere graſſari: Eſt enim hæreſis ſpiritualis peſtis & lepra, quæ ſenſim alios atque alios inficit & corrumpit. At ego, inquit, ſi oro Deum ſicut quotidie facio vt me cõſeruet licet inter eos pęrpetuo verſer, ſpero me nunquam a fide poſſe auerti. Modus inquam ordinarius vitandi hæreſes

Aug. epiſt. 194 ad Bonifacium.

ſes in ſcripturis nobis propoſitus eſt vt fu-
ad Titum 3. giamus hæreticorum conſortia, Hęreticū
ait Paulus hominem poſt vnam & ſecun-
dam correptionem deuita, ſciēs quia ſub-
uerſus eſt. Iam ſi omiſſo hoc modo ordina-
rio qui in nobis eſt cōfugiamus ad ſolum
Dei auxilium, eſt peccatū tētationis Dei.
Sed fingamus tibi hanc gratiam ſingula-
riter a Deo eſſe conceſſam. At filij tui ſi
quos in poſterum habueris, famuli, mili-
tes, ciues & cæteri neceſſarij tui qui hanc
gratiam quæ eſt ſingularis non omnes ac-
cipient tua culpa corrumpentur, qui in
Belgio introducis hanc liberam Religio-
nem. Mox ille qui aderat cum hactenus
ſubticuiſſet verba mea excipiens, cur ait,
multas religiones in Belgio non licet ad-
mittere cum ipſe Pontifex Romæ Iudęos
cum Chriſtianis recipiat? De Iudæis in-
quam longe alia ratio eſt, quia nunquam
defecerunt a fide vt hæretici, neque noſtrā
fidem profeſſi ſunt, ſed nec eis vſquam eſt
libera religio; quia nulli Chriſtianorū li-
cet cum eis matrimonia contrahere, aut
illis ſeruire, vel ad eorum ſectam tranſi-
re, deinde per Spiritum Sanctum apud
Dauidem prędictum eſt ne occidantur ſed
diſ-

diſpergantur in vniuerſum orbem, vt ſecum ferētes libros veteris teſtamenti quos ab ipſis qui inimici ſunt noſtri accipimus, ex eis & ipſos & omnes fidei hoſtes conuincamus, quod eſt magno argumento fidem Chriſtianam eſſe veram. Ampliſſimũ enim teſtimonium eſt quod quis vel ex hoſtibus ſuis habet. Quibus auditis D. d'Incy quaſi ea probans quæ alteri reſpōderam, verum inquit dicit. Sed cupio videre chartas tuas quas huic oſtēdiſti, Neſcio inquam vbinam ſint. Nam milites me abſente domum vbi hoſpitabar vi ingreſſi quædam diripuerunt, ex qua occaſione amici lectum, libros, & cætera omnia quæ ad me pertinebant abſtulerunt. Mittam, inquit, tecum vnum atque alterum militē. Nō eſt inquam neceſſe, ego ipſe referam, Imo, inquit, hi tecum ibunt. Mandauit igitur ſuis vt non ſolum eas chartas quas oſtenderam, ſed omnes quotquot inuenirent ſecum conferrent. Atque ita per plateas velut homo nefarius a tribus vel quatuor militibus circumductus, tandem vt in illa ſcripta de pace facienda cum Rege inciderunt, & alia quoque contra liberam religionem; quæ arbitrabar āte meum abitum

Pſal. 58. & ibi Aug.

abitum fuiſſe combuſta, (nam exemplar vnum alio tranſmiſeram) ſed Dei prouidentia reſeruata ſunt, inuenerunt. Statim igitur vt cum iſta ſcholaſtica ſupellectile mea in arcem redijſſem, cũ ſingulas chartas perluſtraſſet, & illas quæ ipſi commodæ videbantur ab alijs ſeparaſſet, poſtea me ſeorſim adhibitum percontatus eſt ſerio an Illuſtriſſimus D. Cameracenſis vel quiſpiam alius de familia ſua me incitaſſet ad hanc prouinciam obeundam. Ego vero conſtanter (id quod res erat) pernegans, atqui, inquit, niſi mihi hoc faſſus fueris aſcendes cubiculum ſuperius. Sum inquam iam in tua poteſtate, ſed nec tibi hęc profectio mea nec argumenta iſta de pace diſplicere debent, quia etſi tuum & aliorum ſit arma in manus ſumere, noſtrum tamen eſt de iuſtitia belli vobis ſuggerere. Vos ergo, inquit, ſacerdotes quare non ipſi bellum geritis? Quia inquã noſtra arma non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, ieiunia ſcilicet, preces & vigilię. Exhibuit poſtea mihi ſua manu ſcriptum quoddam Apophtegma alicuius ducis belli Græci ſed ethnici, qui rogatus de pace faciẽda, Pacẽ inquit, volunt vt in otio viuãt; ſed pacem volu-

volumus in qua nihil ſit inſidiarum, quas duas ſētētias poſuerat ex trāſuerſo in modū crucis S. Andreę X. Deinde cum verba quędā apud illū feciſſem de humanitate & clementia Regis, eumque magis incitare voluiſſem ad pacem, animaduerti ipſum valde animo pungi, Nam ſtatim altum ſuſpirium ducens, O, inquit, noſter Rex! Sed diffidentia venię illum a ſanis conſilijs abduxit. Vocato itaque ad ſe milite iuſſit vt referret mecum reliquas chartas præter illas quas ceperat, meq; in cubiculū quoddā in domo vnius militis deduceret. Quo mox vt eſſem ingreſſus, venit ad me alius quidam miles veteranus, exacturus iuramentū ſuper pectus ſacerdotij me ibi mā-ſurum captiuum ſuum, neque foras egreſſurum & cætera huiuſmodi. Cui ego, vide quid agas amice, ſacerdos ſum, non licet tibi violentas in me manus inijcere, vel me hic captiuum detinere, nec potes ignorare quid tibi ex eo immineat periculi. Sed neque vt arbitror D. d'Incy me hic captiuum detinere cogitat quamuis contentus ſim ad tempus eius volūtatem expectare. Quo audito magis mutus quam piſcis euanuit. Poſt alteram ſemihorulā vocatus

ſum

ſum iterum ad D. d'Incy, in cubiculum quoddam inferius vbi cepit de integro a me ſciſcitari, an illuſtriſſimus D. vel quis alius me inſtigaſſet ad hoc opus. At ego vt ãtea pernegaui. Biduo poſt miſit ad me quendam cum vita Caluini ex Gallico in Anglicum ſermonem a quodã iuuene nobili qui apud me Cameraci habitauerat conuerſa, quam cupiebat a me in Latinũ transferri, quod & feci. Interea ventitabãt ad me in carcerem duo leuis armaturæ equites quos voluit a me ali quamuis captiuo, & qui vix mihi ipſi alẽdo ſufficerẽ, cum nemo meorum familiarium aut amicorum me adire potuit aut inuiſere. Capitulum tamen noſtrum D. Gaugerici diligentiſſime fere ſingulis diebus agebat apud ipſum de dimiſſione mea. Cui priuilegia ſua alleganti ęgre conceſſum fuit vt poſt decem dies quibus eram in arce concluſus migrarem in carceres capituli noſtri. Paulo vero antequam deſcenderem venit ad me veſperi bene ſero D. d'Incy cum quodam nobili Franco, interrogaturus adhuc quo auctore hanc profectionẽ ſuſcepiſſem, cui cum ego reſponderem vt ſępe antea, nullius id cõſilio id mihi prius
in

in mentem veniſſe. At quomodo, inquit, tu homo priuatus putabas per te hoc cōfici potuiſſe? Cui cum ego modum oſtendiſſem poſitum in quibuſdam R. Abbatibus, nobilis ille Francus addidit, Pacem inter Carolum Quintum & Regem Franciæ olim per quendam minoritam qui ſe pacificatorem interpoſuit fuiſſe compoſitam. Sed quomodo, inquit, fieri pax poterit? Cui ego, mittantur inquam legati Valencenas, & videbitis rem eſſe facillimam. Vrgentibus illis nihil eſſe difficilius poſt tot ab eis patrata facinora, reſpondi opinione quidem eorum ita videri poſſe, ſed reipſa ſecus eſſe. Nam ſicut duo homines priuati dum inimicitias exercent quamdiu inter ſe mutuo non colloquātur putant fore odium ſempiternum, at vbi ſemel ſibi inuicem locuti fuerint, pax videtur inter eos ex media parte eſſe confecta, ita erit inter vos, nā ipſi nō ſunt alieni a pace. Quomodo, inquit, hoc noſti? quia cum Concilium intrarem vidi inquam omnes ſublatis oculis & manibus in cælum nihil aliud a Deo magis petere ac optare, quam quod eis fuit a me ſignificatum. Sed quibus, inquit, fiet conditionibus?

bus? Neſcio inquam, ſed ſine dubio fiet ſi vultis. Ergo inquiebat neceſſe eſt te habere aliquid ſpeciale in mandatis cum tã aſſeueranter loquaris. Nõ habeo inquam, ſed hæc loquor ex bona confidentia. At, inquit D. d'Incy, nam multa ex ſuperioribus alter a me petierat, cum alij qui minora peccauerant (nominauit autem vnum ex proceribus huius Patriæ qui capitis ſupplicio affectus fuerat) non potuerunt eſſe ſecuri, quomodo nos eſſe poſſumus? Quid inquam alij vel quantum peccarint neſcio. Sed ſi ab illis peccatum eſt longe grauius initio peccarunt quam vos. Nam illorum plerique multis & magnis a Rege beneficijs acceptis cum facile impedire poſſent fractores imaginum, & alia quæ tam in Deum quam in Regem ſeditioſi quidam perpetrabant, non reſtiterũt. At vos initio arma ſumpſiſtis quaſi iuſto furore contra violentiam quorundam militum perciti. Quæ vero ſequuta ſunt ex illo vno abſurdo dato facile eſt videre. Sed quicquid ſit, Rex ipſe Pater eſt nõ tyrannus, & vel natura ipſa propẽſus ad clementiam. Sed quibus, inquit, conditionibus faceres tu pacem? Neſcio inquam; non

non eſt enim meę profeſſionis ad illa tam particularia deſcendere, ſed tantum in genere perſuadere eſſe faciendam. Cum autem me adhuc ſemel atq; iterum vrſiſſent quomodo ego ſi penes me eſſet pacē facerē, pecunia inquam redimerem. His dictis receſſerūt ambo. Ego autem decimo die a meis deductus sū ad carceres capituli, vbi cum per triduum manſiſſem, facta eſt mihi deinceps poteſtas vt in domo alicuius Canonici ſub cautione eſſem, quoad aliter definitum eſſet, quid de me fieret. Quinto igitur poſt die cum illum adijſſent, inuenerunt hominem primo ingreſſu ſatis difficilem: at poſtea malle ſe dixit abſentiam meam a ciuitate Cameracenſi, quam præſentiam: Nam ſi hic, inquit, hęreat, erit peſtis totius ciuitatis. Illi autem, quoniam in eos non peccaſſem, dixerunt ſe non poſſe me dimittere. Ego igitur, inquit, mittam ad eum vnum ex meis ſatellitibus qui ipſum cogat abire. Multa quidē & alia inter nos acta ſunt, ſed hæc fere ſunt præcipua quæ videbantur alicuius eſſe momenti: Quæ quia nonnulli aliquando calumniati ſunt quaſi nimis a me temere aut imprudenter geſta, liberum erit cuique iudi-

care vt libet, ſed ego ſi ex imprudẽtia peccaui, in eo ſolum peccaui, quod vt quidam mihi olim perfamiliaris, nunc autem neſcio quo malo genio ſuo aliarum partium ſectator, petẽtibus cauſam detẽtionis meę in arce facete & lepide referre ſolebat: Me mihi ipſi illam captiuitatem accerſiuiſſe, quia cuidam vulpeculæ, vel vt verius dicam annoſæ & inueteratæ in malitia vulpi confeſſus eſſem peccata mea. De reliquo ſiue bene factum ſit, ſiue male diuino iudicio permitto. Ego enim non ſum mihi conſcius me quicquã aliud quæſiuiſſe prętor publicum bonum, & Eccleſię Cameracẽſis, ac honeſtiſſimorum ciuium, etiam cum vitæ proprię periculo & fortunarum mearum diſpendio, ſalutem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eſt Colloquium iſtud plurimæ confidentię, & quod ab omnibus legatur, digniſsimum. Ita teſtor

Petrus Colpin Duacenus, Sacrę Theologiæ Doctor.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google